Kleine religiöse Bibliothek in Miniaturausgaben.

ARMATURA DEI.

Kempis' Nachfolge. Lateinisch u. Deutsch. 30 kr. od. 10 sgr.
— dasselbe. Lateinisch. 18 kr. od. 6 1/4 sgr.
— dasselbe. Deutsch. 12 kr. od. 3 3/4 sgr.
Lehr- u. Andachtsbüchl. f. Seminaristen. 27 kr. od. 8 3/4 sgr.
Leonardo da P. Maurizio, h. Handb. 36 kr. od. 11 1/4 sgr.
— Andacht z. h. Sakramente. 18 kr. od. 6 sgr.
— Anleitung zur Generalbeicht. 18 kr. od. 6 sgr.
— Unterricht über d. h. Messe. 15 kr. od. 5 sgr.
Liguori, Besuchungen. 18 kr. od. 5 1/2 sgr.
— das Gebet. 18 kr. od. 5 1/2 sgr.
— Leidensstunden U. H. Jesu Christi. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— Uebung d. Liebe z. Jesus Christus. 30 kr. od. 10 sgr.
— Vademecum f. fromme Priester. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— Verehrung d. heil. Theresia. 18 kr. od. 5 1/2 sgr.
Nachfolge der allersel. Jungfr. Maria. 27 kr. od. 8 3/4 sgr.
Nachfolge des heil. Joseph. 18 kr. od. 6 sgr.
Offizium Mariä. 12 kr. od. 4 sgr.
Palast der göttlichen Liebe. 12 kr. od. 3 3/4 sgr.
Pinamonti, geistl. Ueb. d. h. Ignatius. 36 kr. od. 11 1/4 sgr.
— das zerknirschte Herz. 15 kr. od. 5 sgr.
— die Stellung der Reichen. 18 kr. od. 6 sgr.
— der untrügliche Spiegel. 18 kr. od. 6 sgr.
— der Weg zum Himmel. 21 kr. od. 7 sgr.
— der Führer der Seelen. 2 Bdchen. 48 kr. od. 15 sgr.
— das heilige Herz Mariä. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Roothan, geistl. Betrachtung zu verrichten. 15 kr. od. 5 sgr.
Sales, kleine Philothea v. Buchfelner. 12 kr. od. 4 sgr.
Scupoli, der geistliche Kampf. 30 kr. od. 10 sgr.
de Ségur, Jesus Christus. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Stöger, Maria auf d. Himmelsthrone. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Tagzeiten, vier, z. Ehren d. s. J. Maria. 6 kr. od. 2 sgr.
Tauler, Nachfolge d. armen Lebens Jesu Chr. 30 kr. od. 10 sgr.
Theologie, seraphische, d. h. Bonaventura. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Thomas v. Aquin, Himmelsleiter. 15 kr. od. 5 sgr.
— — — Engel der Schule. 30 kr. od. 10 sgr.
Verehrung der h. 14 Nothhelfer. 12 kr. od. 3 3/4 sgr.

Armatura Dei.

Preces et meditationes

ex divi Aur. Augustini scriptis
thesauroque s. matris ecclesiae
depromptae et adornatae

opera et studio

F. A. Hamacher,
parochi Düsseldorpiensis.

Editio altera auctior et emendatior.

Cum permissu superiorum.

Ratisbonae, 1857.
Sumptibus G. J. Manz.

Imprimi permittitur.

Coloniae 15. Julii 1856.

Vic. Arch. Gen.

Dr. Baudri,

Episc. Areth. in p. Eccl. metr. Dec.

PIE ORANTI

DE DEO ORANDO.

Quod majus oportuit esse vitae christianae negotium, quam persistere in oratione die ac nocte secundum apostoli admonitionem, cum in hoc mundo et in hac vita nulla possit esse anima secura?

Divitiae quippe atque fastigia dignitatum ceteraque hujusmodi, quibus se felices esse putant mortales licet verae felicitatis expertes, quid afferunt consolationis, cum sit eis non indigere quam eminere praestantius, quae plus excruciant adeptae timore

amissionis, quam concupitae adeptionis ardore? Non sunt ergo in iis vera solatia, sed ibi potius, ubi vera vita. Inde necesse est, ut fiat homo beatus, unde fit bonus. Homines autem boni videntur etiam in hac vita praestare non parva solatia.

Nam si paupertas angit, si luctus moestificat, si dolor corporis inquietat, si contristat exilium, si ulla calamitas alia vexat, adsint boni homines, qui non solum gaudere cum gaudentibus, verum etiam flere cum flentibus norunt, et salubriter alloqui et colloqui sciunt, plurimum illa aspera leniuntur, revelantur gravia, superantur adversa. Sed ille hoc in eis et per eos agit, qui spiritu suo bonos fecit. Econtra si divitiae circumfluant, nulla orbitas

accidat, adsit sanitas carnis, incolumi habitetur in patria, et cohabitent mali homines, in quibus nemo sit, cui fides adhibeatur, a quo non dolus, fraus, irae, discordiae, insidiae timeantur et sustineantur, nonne illa omnia fiunt amara et dura, nec aliquid laetum vel dulce est in eis? Ita in quibuslibet rebus humanis nihil est homini amicum sine homine amico. Sed quotusquisque talis invenitur, de cujus animo et moribus sit in hac vita certa securitas? Nam sicut sibi quisque nemo alter alteri certus est, et tamen nec sibi quisque ita notus est, ut sit de sua crastina conversatione securus. Proinde quamvis ex fructibus suis multi cognoscantur, et alii quidem bene vivendo proximos laetificent, alii male vivendo

contristent, tamen propter humanorum animorum ignota et incerta, rectissime apostolus admonet, ut non ante tempus quicquam judicemus, donec veniat Dominus et illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis et tunc laus erit unicuique a Deo. In iis igitur hujus vitae tenebris, in quibus peregrinamur a Domino, quamdiu per fidem ambulamur non per speciem, desolatam debet se christiana anima putare, ne desistat orare, donec dies lucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris. Tunc erit vera vita post mortem verumque solatium post desolationem.

Antequam ergo ista consolatio veniat, quantacumque temporalium bonorum felicitate circumfluas, ut persistas in orationibus die ac nocte,

desolatum te esse memineris. Nec ideo te magni pendas, quod non desunt, quod affatim suppetunt, quod velut ex fonte largissimo terrenae felicitatis fluunt. Omnino haec in te despice atque contemne, ne in iis quicquam requiras praeter integram corporis valetudinem. Haec enim contemnenda non est propter necessarios usus hujus vitae.

Audisti, qualiter ores, nunc audiet quid ores. Quod sic itaque breviter dici potest: Ora vitam beatam. Hanc enim habere omnes homines volunt; nam et qui pessime et perdite vivunt, nullo modo ita viverent, nisi eodem modo se esse vel posse fieri beatos putarent. Quid ergo aliud oportet te orare, nisi id quod cupiunt et mali et boni, sed ad quod perveniunt nonnisi boni?

Hic fortasse jam quaeras, quid sit beata vita? Bene et utiliter in tempore non vivitur, nisi ad cooperandum meritum, quo in aeternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam, qua cum Deo et de Deo vivitur, cetera, quae utiliter et decenter optantur, sine dubio referenda sunt. Cum ita vivimus, jam nos in ipsa beata vita constitutos existemus, cum illud adhuc non desit, propter quod unum bene vivimus.

Ut quid ergo per multa dispergimur et quaerimus, quid oremus timentes ne forte sicut non oportet oremus, ac non potius cum psalmo dicimus: unam petii a Domino et hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut contempler delectationem Dei et visitem templum sanctum ejus?

Propter hanc adipiscendam vitam beatam ipsa vera vita nos orare docuit, non in multiloquio, tamquam eo fiat, ut exaudiamur, quo loquaciores sumus, cum eum oremus, qui novit, sicut ipse Dominus ait, quid nobis necessarium sit, prius quam petamus ab eo.

Unde mirum videri potest, quamvis multiloquium prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus est, qui novit, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, ut diceret: oportet semper exorare et non deficere. Quod quare dicat, nisi intelligamus, quod Dominus et Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod praeparat dare. Illud

enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi et angusti sumus. Tanto quippe illud, quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color, nec auris audivit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capacius, quanto id et fidelius credimus et speramus firmius et desideramus ardentius.

In ipsa ergo fide, spe et caritate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum et temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus et ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus. Dignior enim sequetur effectus, quem

ferventior praecedit affectus. Ac per hoc et quod ait apostolus: sine intermissione orate, quid est aliud quam beatam vitam, quae nulla nisi aeterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus et oremus semper. Sed ideo ab aliis curis et negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus intendere, ne, quod tepescere coeperat, omnino frigescat et penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur.

Quae cum ita sint, etiam cum diu orare vacat, i. e. cum alia bonarum et necessariarum actionum non impediuntur officia, quamvis et

in eis, ut dixi, desiderio illo semper orandum sit, non est improbum nec inutile. Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando et quod prolixius oraverit, ubi quid aliud, quam nobis praebebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum patre exauditor aeternus?

Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis, multum autem precari est ad eum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam

sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Ponit autem lacrimas nostras in conspectu suo et gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit et humana verba non quaerit.

Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur et inspiciamus, quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus.

Cum ergo dicimus: Sanctificetur nomen tuum, nos ipsos admonemus desiderare, ut nomen ejus, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, h. e. non contemnatur, quod non Deo sed hominibus prodest.

Et in eo, quod dicimus: Adveniat regnum tuum, quod seu velimus seu nolimus, utique veniet, desiderium

nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat atque nos in eo regnare mereamur.

Cum dicimus: Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra, nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, ut sic in nobis fiat voluntas ejus, quemadmodum fit in coelestibus ab angelis ejus.

Cum dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, per id, quod dicitur „hodie“ significatur hoc tempore, ubi vel illam sufficientiam petimus, a parte quae excellit, i. e. nomine panis totam significantes, vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est, non tamen ad hujus temporis, sed ad illam aeternam felicitatem assequendam.

Cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra sicut nos dimittimus debi-

toribus nostris, nos admonemus et quid petamus et quid faciamus, ut accipere mereamur.

Cum dicimus: Ne nos inferas in tentationem, nos admonemus hoc petere, ne deserti ejus adjutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti vel cedamus afflicti.

Cum dicimus: Libera nos a malo, nos admonemus cogitare nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum, quod in dominica oratione positum est, tam late tamque evidenter et manifeste patet, ut homo christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrimas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipsas memoriae nostrae commendari oportebat.

Nam quaelibet alia verba dicamus, quae affectus orantis vel praecedendo format ut clareat, vel consequendo attendit ut crescat, nihil aliud dicimus, quam quod in ista dominica oratione positum est, si recte et congruenter oramus.

Habes, pie lector, quantum arbitror, non solum qualis ores verum etiam quid ores, non me docente, sed illo, qui omnes nos docere dignatus est.

Beata vita quaerenda est; haec a Domino Deo petenda est. Quid sit beatum esse a multis multa sunt disputata, sed nos ad multos et ad multa ut quid dicimus?

> Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius.
>
> (Ps. 143.)

PARS PRIMA.

DEUS TRINUS ET UNUS.

MEDITANDO

CELEBRATUR.

PRAEPARATUR
ANIMA AD MEDITANDUM.

Deus, cujus bonitate facti sumus, justitia poenas luimus, clementia liberamur; Deus, cujus omnipotentia omnia gubernat, regit et implet, quae creavit; cujus omnipotentia omnia concludit, nec evadendi potentiam tuam quisquam aditum invenire poterit, te invoco, clementissime Deus, in animam meam, quam praeparas ad capiendum te ex desiderio, quod inspiras ei. Intra, rogo, in eam et coapta eam

tibi, ut possideas illam, quam fecisti et refecisti, et ego te habeam velut signaculum super cor meum. Quaeso, piissime, invocantem te ne deseras, quia, priusquam te invocarem, me vocasti et quaesiisti, ut ego servus tuus te quaererem, quaerendo invenirem et inventum amarem.

Quaesivi et inveni te, Domine, et amare desidero. Auge desiderium meum et da, quod peto, quoniam, si cuncta, quae fecisti, mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo teipsum mihi, Deus meus, redde te mihi. En amo te, et si parum est, amem validius. Tui ergo amore teneor, tui desiderio flagro, tui dulci memoria delector.

Ecce dum tibi mens suspirat et

tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis et miseriarum more solito non hebetat. Silent cuncta, tranquilla sunt omnia; cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet et totus spiritus ex desiderio visionis tuae accensus, invisibilium amore rapi se videt.

Assumat spiritus meus pennas ut aquilae, volet et non deficiat, volet et perveniat usque ad decorem domus tuae et thronum gloriae tuae, et ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuae juxta fluenta plenissima.

Tu esto exultatio nostra, qui es spes nostra, salus atque redemptio.

Tu esto nostrum gaudium, qui es futurum praemium.

Te semper quaerat anima mea, et tu praesta, ut quaerendo ne deficiat. —

Pater etc. Ave etc.

SECTIO PRIMA.

MAJESTAS DEI.

Cap. I.

De scientia Dei.

Erravi sicut ovis, quae perierat, quaerens te exterius, qui es interius. Et multum laboravi, quaerens te extra me, et tu habitas in me. Circuivi vicos et plateas civitatis hujus mundi, quaerens te, et non inveni, quia male quaerebam foris, quod erat intus.

Misi nuntios meos — omnes sensus exteriores — ut quaererem te et non inveni, quia male quaerebam. Video enim, lux mea, Deus, qui illuminasti me, quod male te per illos quaerebam,

quia tu es intus, et tamen ipsi, ubi intraveris, nesciverunt. Nam oculi dicunt: si coloratus non fuit, per nos non intravit; aures dicunt: si sonitum non fecit, per nos non transivit; nasus dicit: si non oluit, per me non venit; gustus dicit: si non sapuit, per me non introivit; tactus etiam addit: si corpulentus non est, nihil me de hac re interroges. Non ista igitur sunt in te, Deus meus. Non enim speciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarum cantus et quaecumque dulce sonantia, non florum et unguentorum vel aromatum odores, non mella vel manna gustui delectabilia, non cetera ad tangendum vel amplexandum amabilia, nec omnia alia sensibus his subjecta quaero, cum Deum meum quaero. Et tamen, cum Deum meum quaero, quaero nihilominus quandam lucem super omnem lucem, quam non capit oculus, quandam vocem super omnem vocem, quam non capit auris, quendam odorem super omnem odorem, quem non capit naris, quendam dulcorem super omnem dul-

corem, quem non capit gustus, quendam amplexum super omnem amplexum, quem non capit tactus. Ista lux quidem fulget, ubi locus non capit; ista vox sonat, ubi spiritus non rapit; odor iste redolet, ubi flatus non spargit; sapor iste sapit, ubi non est edacitas; amplexus iste tangitur, ubi non divellitur. Hic est Deus meus et non aestimabitur alius ad illum; hoc quaero, cum Deum meum quaero; istud amo, cum Deum meum amo.

Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova; sero te amavi. Tu intus eras, et ego foris, ibique te quaerebam, atque in ista formosa, quae fecisti, ego deformis irruebam. Mecum eras et ego tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quae esse non poterant, nisi in te. Circuibam enim omnia, quaerens te et propter omnia derelinquens me. Interrogavi terram, si esset Deus meus, et dixit mihi, quod non, et omnia, quae in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogavi mare et abyssos et reptilia, quae in eis sunt, et responderunt: non sumus Deus tuus,

quaere super nos eum. Interrogavi stabilem aërem, et aër cum omnibus incolis suis: fallitur, inquit, Anaximenes, non sum ego Deus tuus. Interrogavi coelum, solem, lunam, stellas: neque nos, inquiunt, sumus Deus tuus. Et dixi omnibus his, qui circumstant fores carnis meae: dixistis mihi de Deo meo, quod vos non estis: dicite mihi aliquid de illo. Et clamaverunt omnes voce grandi: Ipse fecit nos. Interrogavi deinde mundi molem: dic mihi, utrum es Deus meus an non? Et respondit voce forti: non sum, inquit, ego, sed per ipsum sum ego; quem quaeris in me, ipse fecit me; supra me quaere eum, qui regit me, qui fecit me.

Interrogatio creaturarum est profunda consideratio ipsarum, earumque responsio attestatio ipsarum de Deo, quoniam omnia clamant: Deus nos fecit; quoniam, ut ait apostolus, invisibilia Dei per ea, quae facta sunt a creatura mundi intellecta conspiciuntur.

Et redii ad me et intravi in me,

et ajo ad me: tu, quis es? Et respondi mihi: homo rationabilis et mortalis. Et incepi discutere, quid hoc esset, et dixi: unde hoc tale animal, Deus meus? unde, nisi abs te?! Tu fecisti me et non ego ipse me; quis tu? Tu, per quem vivo ego? tu per quem vivunt omnia? Quis tu? Tu, Domine, Deus meus verus et solus omnipotens et aeternus et incomprehensibilis et immensus, qui semper vivis et nihil moritur in te. Immortalis enim es, habitans aeternitatem, mirabilis oculis angelorum, inenarrabilis, imperscrutabilis et innominabilis; tu es Deus vivus et verus, terribilis et fortis, nesciens principium neque finem, principium omnium atque finis, qui es ante primordia saeculorum et ante omnes saeculorum origines; tu es Deus meus et Dominus omnium, quae creasti; apud te omnium stabilium stant causae et omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines omniumque rationabilium et irrationabilium atque temporalium sempiternae vivunt rationes. Dic mihi supplici servo tuo,

Deus meus, dic misericors misero tuo, dic, quaeso, per misericordias tuas: unde hoc tale animal, nisi abs te? An quisquam sese faciendi erit artifex? An aliunde, quam a te traditur esse et vivere? Nonne tu es summum esse, a quo est omne esse? Quidquid enim est, a te est, quia sine te nihil est. Nonne tu es fons vitae, a quo fluit omnis vita? Quidquid enim vivit, per te vivit, quia sine te nihil vivit. Tu ergo, Domine, fecisti omnia. Num quaeram, quis fecit me?! Tu, Domine, fecisti me, sine quo factum est nihil. Tu factor mei, ego opus tuum.

Cap. II.

Ineffabilis scientia Dei.

Gratias tibi ago, Domine, Deus meus, per quem vivo ego et per quem omnia vivunt, quoniam fecisti me. Gratias tibi, plasmator mei, quia manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me. Gratias tibi, lux mea, quoniam illuminasti me, et inveni te et me

Ubi enim inveni me, ibi cognovi me, ubi inveni te, ibi cognovi te; ubi autem cognovi te, ibi illuminasti me. Gratias tibi, lux mea, quoniam illuminasti me.

Quid est, quod dixerim: cognovi te? Nonne tu es Deus incomprehensibilis et immensus? Nonne rex regum et dominus dominantium, qui solus habes immortalitatem et lucem habitas inaccessibilem, quam nullus hominum videt nec videre potest? Nonne tu es Deus absconditus et imperscrutabilis majestatis, solus tui ipsius cognitor et mirabilis contemplator? Quis ergo cognovit, quod nunquam vidit? Dixisti enim in veritate tua: non videbit me homo et vivet. Dixit et praeco tuus per veritatem tuam: Deum nemo vidit unquam. Quis ergo cognovit, quod nunquam vidit? Dixit etiam veritas tua: nemo novit filium, nisi pater, neque patrem quis novit, nisi filius. Sola trinitas tua soli sibi integre nota est, quae exsuperat omnem sensum.

Quid est ergo, quod dixerim, homo

vanitati similis: cognovi te? Quis enim cognovit te, nisi tu te? Tu quippe solus Deus omnipotens, et altissimus in sanctissimis et divinissimis eloquiis nominaris. Quoniam super omnem essentiam intelligibilem et super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, esse dignosceris; quoniam occulta divinitate super omnem rationem, intellectum et essentiam inaccessibiliter et imperscrutabiliter habitas in te ipso, ubi lux inaccessibilis et lumen imperscrutabile, ad quod non attingit aliquod lumen, quod nullus unquam angelorum vel hominum vidit, sed nec videre potest. Hoc est coelum tuum, Domine, coelum celans superarcanum, et superessentiale lumen, de quo dicitur: coelum coeli Domino. Coelum coeli, cui terra est omne coelum, quia supermirabiliter exaltatum est super omne coelum, ad quod etiam terra est ipsum coelum empyreum. Hoc est enim coelum coeli Domino, quia nulli notum, nisi Domino; ad quod nemo ascendit, nisi qui de coelo de-

scendit, quia nemo novit patrem, nisi filius et eorum spiritus, et nemo novit filium, nisi pater et eorum spiritus. Soli quidem tibi trinitas integre nota est, trinitas sancta, trinitas supermirabilis, exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, quam neque dicere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis angelorum.

Unde ergo cognovi te, Domine Deus, altissime super omnem terram et super omne coelum? unde cognovi te, quem neque Cherubim perfecte cognoscunt neque Seraphim, sed alis contemplationum suarum velatur facies sedentis super solium excelsum et elevatum, clamantes et dicentes: sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria tua. Expavit propheta et dixit: vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum! Et expavit cor meum et dixi: Vae mihi, quia non tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, sed dixi: cognovi te. Verumtamen, Domine, vae tacentibus de te, quoniam loquaces muti fiunt sine te. Et ego,

Domine, Deus meus, non tacebo, quoniam fecisti me et illuminasti me, et invenisti me et cognovi te, quoniam illuminasti me.

Sed qualiter cognovi te? Cognovi te in te. Cognovi te non sicut tibi es, sed cognovi te, sicut mihi es, et non sine te, sed in te, quia tu es lux, quae illuminasti me. Sicut enim tibi es, soli tibi cognitus es; sicut mihi es, secundum gratiam tuam et mihi cognitus es. Sed quid mihi es? Dic mihi, misericors, famulo tuo misero, dic mihi per misericordias tuas, quid mihi es? Dic animae meae: salus tua ego sum; noli abscondere a me faciem tuam, ne moriar. Sine me loqui apud tuam misericordiam, me, terram et cinerem; sine me loqui apud misericordiam tuam, quoniam misericordia magna est super me. Loquar enim ad Deum meum, cum sim pulvis et cinis. Dic mihi supplici tuo, dic per miserationes tuas, quid mihi es? Et intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, rupisti surditatem meam et audivi vocem tuam,

et illuminasti caecitatem meam et vidi lucem tuam et cognovi: quoniam Deus meus es tu. Propterea dixi: cognovi te.

Cognovi enim te, quoniam Deus meus es tu; cognovi te solum verum Deum et quem misisti, Jesum Christum.

Erat tempus, quando non cognoscebam te. Vae caecitati illi, quando non videbam te; vae surditati illi, quando non audiebam te! Caecus et surdus per formosa, quae fecisti, deformis irruebam. Tu mecum eras et ego tecum non eram, et ea me tenebant longe a te, quae non essent, nisi essent in te. Illuminasti me, lux mundi, et vidi te et amavi te. Nemo quippe te amat, nisi qui te videt, et nemo te videt, nisi, qui te amat.

Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova; sero te amavi. Vae tempori illi, quando non te amavi! —

Cap. III.

Profitetur homo christianus scientiam Dei.

Gratias tibi ago, lux mea, qui illuminasti me et ego cognovi te. — Cognovi te Deum vivum et verum, creatorem meum; cognovi te creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, Deum verum, omnipotentem, principium omnium creaturarum, per quem omnia facta sunt, per quem cuncta subsistunt elementa, cujus majestas, sicut principium nunquam habuit, sic nec desinet in aeternum. Cognovi te unum solum Deum aeternum, patrem et filium et spiritum sanctum; tres quidem personas, sed unam essentiam omnino simplicem indivisamque naturam; patrem quidem a nullo, filium a patre solo, et spiritum sanctum pariter ab utroque; absque initio semper et sine fine Deum trinum et unum solum et verum Deum omnipotentem; unum universorum prin-

cipium, creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et temporalium, qui tua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisti naturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore et spiritu constitutam.

Cognovi te et confiteor te Deum patrem ingenitum, te filium a patre genitum, et spiritum sanctum paracletum neque genitum, neque ingenitum, sanctam et individuam trinitatem in tribus coaequalibus personis consubstantialibus et coaeternis, trinitatem in unitate et unitatem in trinitate, corde credens ad justitiam et ore confitens ad salutem.

Cognovi te verum Deum et Dominum nostrum, Jesum Christum, filium Dei unigenitum, creatorem, salvatorem et redemptorem mei et totius humani generis, quem confiteor ex patre genitum ante saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, non factum sed genitum, consubstan-

tialem et coaeternum patri et spiritui sancto, per quem omnia facta sunt a principio; firmiter credens et veraciter confitens te Deum unigenitum Jesum Christum, propter salutem hominum a tota trinitate communiter incarnatum et ex Maria perpetua virgine spiritus sancti cooperatione conceptum, verum hominem factum ex anima rationali et humana carne subsistentem; qui, cum secundum divinitatem unigenitus Deus impassibilis sis pariter et immortalis, propter nimiam dilectionem tuam, qua dilexisti nos, idem ipse Dei filius, secundum humanitatem factus es passibilis et mortalis, qui propter salutem humani generis, unice fili Dei, in ligno crucis pati dignatus es passionem et mortem, ut nos a morte perpetua liberares. Atque ad inferos, ubi sedebant in tenebris patres nostri, auctor luminis, descendisti, et tertia die gloriosus victor ab inferis ad superos resurrexisti, resumens sacrum corpus, quod pro peccatis nostris mortuum jacuerat in sepulcro et vivificans secundum scripturas die tertia, ut ipsum in

patris dextera collocares. Assumpta namque tecum ex inferis captivitate, quam captiverat antiquus hostis humani generis inimicus, verus Dei filius cum nostrae carnis substantia, i. e. cum anima et carne humana ex virgine gloriosa assumpta, super omnes coelos ascendisti, transcendens omnes ordines angelorum, ubi sedes ad dexteram Dei patris, ubi est fons vitae et lumen inaccessibile et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum. Ibi te Deum verum et hominem Jesum Christum adoramus et credimus, confitentes, te patrem habere Deum, indeque te venturum judicem in fine saeculorum exspectamus, ut judices vivos et mortuos et reddas omnibus bonis et malis secundum opera sua, quae operati sunt in hac vita, vel praemium vel supplicium, prout unusquisque dignus fuerit requie aut aerumna. Resurgent enim illa die a voce virtutis tuae omnes homines, quotquot humanam animam acceperunt in carne sua, quam hic habuerunt, ut totus homo pro meritis vel gloriam suscipiat vel gehen-

nam. Tu es ipsa vita et resurrectio nostra, quem salvatorem exspectamus, Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.

Cognovi te Deum verum et unum spiritum sanctum patris et filii ab utroque pariter procedentem, consubstantialem et coaeternum patri et filio, paracletum et advocatum nostrum, qui super eundem Deum et Dominum nostrum Jesum Christum in columbae specie descendisti et super apostolos in linguis igneis apparuisti; qui et omnes sanctos et electos Dei a principio tuae gratiae munere docuisti, et ora prophetarum, ut enarrent mirabilia Dei, aperuisti; qui ab omnibus sanctis Dei cum patre et filio simul adoraris et glorificaris, inter quos et ego, filius ancillae tuae, corde meo glorifico nomen tuum, quoniam illuminasti me. Tu enim vera es lux, lumen veridicum, ignis Dei et magister spirituum, qui unctione tua doces nos omnem veritatem, tu spiritus veritatis, sine quo impossibile est placere Deo, quo-

niam tu ipse Deus es ex Deo et lux de luce, procedens a patre luminum ineffabiliter et ab ejus filio, Domino nostro Jesu Christo, quibus consubstantialis et coaequalis et coaeternus, existens in trinitatis essentia, superessentialiter cougloriaris et conregnas.

Cognovi te unum Deum vivum et verum, patrem et filium et spiritum sanctum, trinum quidem in personis, sed unum in essentia, quem confiteor, adoro et glorifico toto corde meo verum Deum solum, sanctum, unum lumen, unum solem, unum panem, unam vitam, unum bonum, unum principium, unum finem, unum creatorem coeli et terrae, per quem omnia vivunt, per quem omnia subsistunt, per quem omnia gubernantur, reguntur et vivificantur, quae in coelis sunt et quae in terris et quae sub terra, praeter quem non est Deus in coelo et in terra.

Sic te cognovi, Domine Deus, cognitor mei, sic cognovi te. Cognovi te per fidem tuam, quam inspirasti mihi, lux mea, lumen oculorum meo-

rum, Domine Deus meus, spes omnium finium terrae, gaudium laetificans juventutem meam, et bonum sustentans senectutem meam. In te enim, Domine, jubilant ossa mea dicentia: Domine, quis similis tibi? — Omnes dii gentium daemonia; Dominus autem coelos fecit, Dominus ipse est Deus. Dii, qui non fecerunt coelum et terram, pereant de coelo et de terra; Deum, qui creavit coelum et terram, coeli et terra benedicant.

Cap. IV.

Scientiae divinae suavitas.

Sancte sanctorum, Deus inaestimabilis majestatis, Deus deorum et Dominus dominorum, mirabilis, inenarrabilis, inexcogitabilis, quem contremiscunt in coelo angelicae potestates, quem adorant omnes dominationes et throni, et omnes virtutes pavent a conspectu tuo; cujus potentiae et sapientiae non est numerus, qui fundasti mundum super nihilum et mare colli-

gasti in aëre quasi in utre, omnipotentissime, sanctissime, fortissime Deus spirituum universae carnis, a cujus conspectu fugit coelum et terra, ad cujus nutum omnia se subjiciunt elementa, te adorent et glorificent omnes creaturae tuae.

Et ego, filius ancillae tuae, per fidem tuam flecto cervicem cordis meae sub pedibus majestatis tuae, gratias agens, quoniam dignatus es per tuam misericordiam illuminare me, lumen verum, lumen sanctum, lumen delectabile, lumen admirabile, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, et etiam oculos angelorum. Ecce video, gratias ago; ecce video lumen coeli. Interlucet oculis mentis meae radius desuper a facie luminis tui et laetificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge, quaeso, luminis auctor, auge, quaeso, quod interlucet in me. Dilatetur, obsecro, dilatetur ex te.

Quid est hoc, quod sentio? quis est ignis, qui calefacit cor meum? quae est lux, quae irradiat cor meum?

O ignis, qui semper ardes et nunquam extingueris, accende me! O lux, quae semper luces et nunquam obfuscaris, illumina me! O utinam arderem ex te! Ignis sancte, quam dulciter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris! Vae illis, qui non ardent ex te; vae illis, qui non illuminantur ex te, o lumen veridicum, illuminans omnem mundum, cujus lux implet mundum! Vae caecis oculis, qui te non vident, sol illuminans coelum et terram! Vae caligantibus oculis, qui te videre non possunt; vae avertentibus oculis, ut non videant veritatem! Nequeunt enim oculi, assueti tenebris, summae veritatis radios intueri, nec sciunt de lumine aliquid aestimare, quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant; de tenebris euntes ad tenebras, nesciunt ubi corruant. Miseri, qui nesciunt, quid amittant, et miseriores utique, qui sciunt, quid amittant, qui cadunt apertis oculis et descendunt in infernum viventes.

O lux beatissima, quae nonnisi a

purgatissimis oculis videri potest! Beati mundo cordi, quoniam ipsi Deum videbunt. Munda me, mundans virtus; sana oculos meos, ut sanis oculis te contempler, quem nonnisi sani oculi intuentur. Aufer, quaeso, squamas caliginis antiquae radio tuae illuminationis, splendor inaccessibilis, ut te videre valeam irreverberatis obtuitibus et in lumine tuo videam lumen.

Gratias tibi ago, lux mea, ecce video. Revela oculos meos, ut considerem mirabilia de lege tua, qui es mirabilis in sanctis tuis. Gratias tibi ago, lumen meum, ego video, sed per speculum in aenigmate. Heu, quando facie ad faciem? Quando eveniet dies laetitiae et exultationis, qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, ut videam videntem me facie ad faciem, ut satietur desiderium meum?

Cap. V.

De dulcitudine Dei omnipotentis.

Cognoscam te, cognitor meus, cognoscam te, virtus animae meae. Ostende te mihi, consolator meus; videam te, lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritus mei; videam te, laetitiam cordis mei. Diligam te, vita animae meae; appare mihi, delectatio magna, solatium meum dulce, Domine Deus meus, vita mea et gloria tota animae meae. Inveniam te, desiderium cordis mei; teneam te, amor animae meae; amplectar te, sponse coelestis, exultatio mea summa intus et extra. Possideam te beatitudo sempiterna, possideam te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo summa animae meae. Diligam te, Domine, firmamentum meum et refugium meum et liberator meus. Amem te, Deus adjutor meus, turris fortitudinis mihi et spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Amplectar te bonum, sine

quo nihil bonum; fruar te optimo, sine quo nihil est optimum. Aperi penetralia aurium mearum verbo penetrabiliori omni gladio ancipiti, ut audiam vocem tuam; intona, Domine, desuper voce grandi et forti; tonet mare et plenitudo ejus, commovetur terra et omnia, quae in eis sunt. Illustra oculos meos, lux incomprehensibilis; fulgura coruscationem et dissipa eos, ut non videant vanitatem. Fulgura multiplica et conturba eos; appareant fontes aquarum et revelentur fundamenta orbis terrarum. Tribue visum, lux invisibilis, qui te videat. Crea novum olfactum, odor vitae, qui post te currat in odorem unguentorum tuorum. Gustum sana, qui sapiat et cognoscat et discernat, quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti his, qui pleni sunt caritatis tuae. Da cor, quod te cogitet, mentem, quae te recolat, intellectum, qui te intelligat, rationem, quae tibi semper summo delectabili fortiter adhaereat. Te semper amor sapiens diligat.

O vita, cui omnia vivunt; vita, quae dat mihi vitam; vita, quae est mea vita, per quam vivo, sine qua morior; vita, per quam resuscitor, sine qua pereo; vita, per quam gaudeo, sine qua tribulor; vita vitalis, dulcis et amabilis, semper memorabilis, ubi, quaeso, es? ubi te inveniam, ut in me deficiam et in te subsistam? Prope esto in animo, prope in corde, prope in ore, prope in auribus, prope in auxilio, quia amore langueo, quia sine te morior, quia te recolens suscitor. Odor tuus me recreat, memoria tui me sanat, sed satiabor, cum apparuerit gloria tua, vita animae meae. Concupiscit et deficit anima mea de memoria tua; quando veniam et apparebo tibi, laetitia mea!

Quare faciem tuam avertis, gaudium meum, per quod gaudeo? Ubi es absconditus, pulchre, quem desidero? Odorem tuum haurio, vivo et gaudio, te autem non video; vocem tuam audio et revivisco, sed cur faciem tuam abscondis? Forte dicis: non videbit me homo et vivet. Eja,

Domine, moriar, ut te videam, videam, ut hic moriar. Nolo vivere, volo mori; dissolvi cupio et esse cum Christo. Mori desidero, ut videam Christum; vivere renuo, ut vivam cum Christo. O Domine Jesu, accipe spiritum meum; vita mea, suscipe animam meam; gaudium meum, attrahe cor meum; dulcis cibus meus, comedam te. Caput meum, dirige me; lumen oculorum meorum, illumina me; melos meum, tempera me; odor meus, vivifica me; verbum Dei, recrea me; laus mea, laetifica animam servi tui; intra in eam, gaudium meum, ut in te gaudeat, intra in eam, dulcedo summa, ut dulcia sapiat; lumen aeternum, illustra super eam, ut te intelligat, cognoscat et diligat. Ob hoc enim non te diligit, Domine, si te non diligit, quia non te cognoscit, et te ideo non cognoscit, quia non intelligit, et idcirco non intelligit, quia lumen tuum non comprehendit; et lux in tenebris lucet et tenebrae eum non comprehenderunt.

O lux mentis, o lucens veritas, o

vera claritas, quae illuminas omnem hominem, venientem in hunc mundum, expelle tenebras desuper faciem abyssis mentis meae, ut videat te intelligendo, ut cognoscat te comprehendendo, ut diligat te cognoscendo. Quisquis enim cognoscit te, diligit te seque obliviscitur; amat te plus quam se, relinquit se et venit ad te, ut gaudeat in te. Hinc est ergo, Domine, quod non tantum diligo, quantum debeo, quia non plane cognosco te, sed quia parum cognosco, parum diligo, et quia parum diligo, parum in te gaudeo, sed a te vero gaudio interiori, per exteriora recedens, dum te solo careo, adulterinas amicitias in his exterioribus quaero, et sic, miser ego, cor meum, quod tibi soli debui toto amore totoque affectu impendere, vanis dedi et ideo vanus effectus sum, dum vanitatem dilexi. Hinc etiam est, Domine, quod in te non gaudeo et tibi non adhaereo, quia ego in exterioribus, tu in interioribus, ego in temporalibus, tu in spiritualibus, ego in transitoriis animo diffundor, cogitatione versor,

locutione implicor, et tu, Domine, in aeternis habitas et aeternitas es. Tu in coelo, ego in terra; tu diligis alta, ego infima, tu coelestia, ego terrestria; et quando poterunt haec contraria convenire?

Cap. VI.

De bonitate Dei, qui creavit hominem.

Miser ego, Deus meus, quantum tenear diligere te, ostende mihi, quantum debeam laudare te, demonstra mihi, qantum debeam placere tibi, innotesce mihi. Intona, Domine, desuper voce grandi et forti in interiorem aurem cordis mei, doce me et salva me, et collaudabo te, qui creasti me, cum nihil essem, et illuminasti me, cum in tenebris essem, qui resuscitasti me, cum mortuus essem, qui pavisti me a juventute mea omnibus bonis tuis. Hunc inutilem vermem, foetentem peccatis, nutris omnibus optimis donis tuis.

Aperi mihi, o clavis David, aperi mihi ostium luminis tui, ut ingrediar et videam et cognoscam et confitear tibi in toto corde meo, quia misericordia tua magna est super me et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Domine, Deus noster, quam admirabile et laudabile est nomen tuum in universa terra! Ecquid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Domine, spes sanctorum et turris fortitudinis eorum; Deus vita animae meae, per quam vivo et sine qua morior; lumen oculorum meorum, per quod video, sine quo orbor; gaudium cordis mei et laetitia spiritus mei, diligam te corde meo et toto animo meo et totis medullis et visceribus meis, quia prior dilexisti me.

Et unde hoc mihi, o creator coeli et terrae et abyssi, qui bonorum meorum non indiges, unde hoc mihi, quod dilexisti me? O sapientia, quae aperis os mutuorum; o verbum, per quod facta sunt omnia, aperi os meum, da mihi vocem laudis, ut enarrem omnia

beneficia tua, quae mihi, Domine, a principio contulisti.

Ecce enim sum, quia tu creasti me, et quod me creares et in numero creaturarum tuarum numerares, ab aeterno tu praeordinasti, antequam quicquam faceres a principio, antequam extenderes coelos, necdum erant abyssi, adhuc terram non feceras, nec montes fundaveras, necdum fontes eruperant; antequam haec omnia, quae fecisti per verbum, faceres, me creaturam tuam fore certissima veritatis tuae providentia praevidisti, et esse me creaturam tuam voluisti.

Et hoc unde mihi, Domine benignissime, Deus altissime, pater misericordissime, creator potentissime et semper mitissime, quae mea merita, quae mea gratia, ut complaceret ante conspectum tuae magnificae majestatis creare me? Non eram et creasti me, nihil fueram et de nihilo me aliquid fecisti. Quale autem aliquid? Non stillam aquae, non ignem, non avim, non piscem vel aliquid ex brutis animalibus; non lapidem

vel lignum, neque ex eorum genere, quae tantum habent esse, sed super haec omnia voluisti me esse, et paulo minus parem me creasti angelis, quia rationem te cognoscendi cum ipsis a te communem accepi. Sed paulo minus utique dixi, nam illi tuam felicem notitiam jam habent per speciem, ego autem per spem, illi facie ad faciem, ego per speculum in aenigmate, illi plane, ego autem ex parte. Sed cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, et revelata facie tuam faciem videbimus in aeternum.

Cap. VII.

De bonitate Dei, qui hominem ad imaginem et similitudinem suam creavit.

Cum vero te videbimus facie ad faciem, quid jam prohibebit, nos non esse minores paulo minus ab angelis, quos tu, Domine, corona spei, quae ornata est gloria et honore, coronaveris, quos tu nimis, quasi amicos tuos,

honorificaveris, imo per omnia pares et aequales angelis? Nempe et hoc veritas tua dicit: aequales sunt angelis et filii Dei sunt. Vere quidem erunt filii Dei, quia filius hominis factus est filius Dei. Hoc utique consideranti mihi fiducia est dicere: non homo minor paulo minus est ab angelis, sed superior angelis, quia homo Deus et Deus homo, non angelus. Et dicam propter hoc, hominem esse creaturam dignissimam, quia verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, verbum, per quod Deus dixit: Fiat lux et facta est lux, verbum, per quod Deus creavit omnia in principio, idem verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus.

Ecce gloria, per quam glorior, quando sane glorior; ecce gaudium, per quod gaudeo, quando sane gaudeo, Domine, Deus meus, vita et tota gloria animae meae. Confiteor ergo tibi, Domine, Deus meus, cum me creasti rationis capacem, angelis quodammodo parem creasti, quia perfici possum per verbum tuum, ut veniam ad aequali-

tatem angelorum et habeam adoptionem filiorum per unigenitum verbum tuum, Domine, per filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit, per unicum cohaeredem et consubstantialem tibi et coaeternum Jesum Christum, redemptorem nostrum, illuminatorem et consolatorem nostrum, advocatum nostrum apud te, et lumen oculorum nostrorum, qui est vita nostra et spes unica nostra, qui nos dilexit magis, quam se, per quem habemus fiduciam repositam et firmam apud te spem et accessum veniendi ad te, quoniam dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.

Laudem tribuam nomini tuo, Domine, qui me ad imaginem et similitudinem tuam creando, tantae gloriae fecisti me fore susceptibilem, ut possim filius Dei fieri. Hoc utique non possunt omnia, quae moventur et crescunt in aëre vel in mari vel in terra, quia rationem non habent; nam et haec potestas in ratione consistit, per quam cognoscimus Deum. Dedit autem hanc potestatem hominibus, quos

creavit rationabiles ad imaginem et similitudinem suam. Et ego utique, Domine, per tuam gratiam homo sum, et filius tuus esse possum per gratiam.

Unde hoc mihi, Domine, veritas summa veraque summitas, principium omnium creaturarum? unde hoc mihi, Domine, ut possim fieri filius Dei? Tu es, qui manes in aeternum, qui omnia creasti simul; simul creasti homines et jumenta, lapides et virentia terrae. Non enim praecesserunt merita, nulla eorum antecessit gratia, quia omnia tua tantum bonitate creasti; pares omnes creaturae fuere in meritis, quia omnium nulla fuerunt merita. En unde ergo magis tua bonitas in hac creatura tua, quam fecisti rationabilem, quam in omnibus aliis, quae sunt sine ratione, apparuit? Quare non ego sicut omnes illae, aut cur non omnes illae sicut ego? Quae mea merita? quae mea gratia, ut me filium Dei posse fieri susceptibilem creares, quod illis omnibus denegares? Absit, Domine, ut hoc sentiam; tua tantum gratia, tua tantum bonitas hoc fecit,

ut essem particeps dulcedinis ejus. Illa igitur gratia, qua me de nihilo creasti, illam, quaeso, Domine, da mihi gratiam, ut tibi de hoc referam gratiam.

Cap. VIII.

De bonitate Dei, qui creavit hominem ad felicitatem coelestem.

Omnia pedibus hominum subjecisti, ut solus homo totus tibi subjiceretur, et ut tuus totus homo esset, super omnia opera tua dominatus est homo. Exteriora nempe pro corpore cuncta creasti, ipsum vero corpus pro anima, animam vero pro te, ut tibi soli vacaret et te solum amaret, possidens te ad solatium, inferiora autem ad servitium. Quidquid enim coeli ambitu continetur, inferius ab anima humana est, quae facta est, ut summum bonum superius possideret, cujus possessione beata fieret. Cui, si adhaeserit, cunctorum mutabilium inferiorum necessitudines supergrediens, illius summae majestatis, cujus aemulatur speciem,

aeternae immortalitatis faciem cum serenitate videbit. Tunc vero illis bonis optimis fruetur in domo Domini, quorum comparatione cuncta haec, quae hic cernimus, velut nihilum computantur. Illa sunt, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se. Et haec quidem daturus es, Domine, animae; his etiam quotidie laetificas animas servorum tuorum, qui amas animas.

Quid miror haec, Domine, Deus meus? Imaginem quippe tuam honorificas et similitudinem tuam, ad quam creatae sunt. Nam et corpori nostro licet adhuc corruptibili et ignobili, ut videret, dedisti coeli claritatem per manum ministeriorum tuorum, solis et lunae, qui praecepto tuo jugiter die ac nocte deserviunt filiis tuis; ut spiraret, largitus es aëris puritatem; ut audiret, sonorum varietates; ut odoraret, odorum suavitates; ut gustaret, saporum qualitates; ut contrectaret, dedisti corpulentorum omnium grossitates. Adjuvamenta suis necessitatibus

dedisti jumenta; volucres quoque coeli et pisces maris et fructus terrae ad reficiendum impendisti. Medicinas de terra propter singulas quasque suas corruptelas creasti, singula solatia singulis malis obviantia praeparasti, quoniam es misericors et miserator, et novisti figmentum nostrum, figulus noster, et nos omnes quasi lutum in manu tua.

En aperiatur mihi misericordia tua magna lumine tuo. Illustra, quaeso, magis adhuc, ut mihi magis aperiatur. Nam ex his minimis tua magna, et ex his visibilibus tua invisibilia comprehendimus, Domine, Deus sancte et bone creator noster. Si enim, mi Domine, pro hoc corpore ignobili et corruptibili tam magna et innumera beneficia praestas a coelo et ab aëre, a terra et mari, a luce et tenebris, a calore et umbra, rore et imbre, ventis et pluviis, volucribus et piscibus, bestiis et arboribus et multiplicitate herbarum et germinum terrae et cunctarum creaturarum tuarum ministerio nobis successive per sua tempora mini-

strantium, ut alleves fastidium nostrum; qualia, quaeso, et quam magna et innumerabilia erunt illa bona, quae praeparasti diligentibus te in coelesti patria, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio. Cum sint haec omnia valde bona et delectabilia, quae bonis pariter malisque communia tradidisti, qualia futura sunt illa, quae solis bonis recondidisti? Si tanta solatia in hac die lacrimarum, quanta conferes in die nuptiarum!

Cap. IX.

De bonitate Dei, qui emisit angelos suos ad custodiam hominum.

Dilexisti me, Domine, unice amor meus, antequam diligerem te, et ad imaginem tuam me creasti omnibusque creaturis tuis me praeposuisti. Insuper facis angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti, ut custodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim

sunt custodes super muros civitatis tuae novae Hierusalem et montes in circuitu ejus, vigilantes et custodientes vigilias super gregem tuum, ne quando rapiat ut leo animas nostras, dum non esset, qui eriperet, ille antiquus serpens adversarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens semper circumit, quaerens, quem devoret. Hi sunt cives beatae civitatis supernae, quae sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, ut eos liberent ab inimicis suis et custodiant in omnibus viis suis, confortent quoque ac moneant, et orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriae majestatis tuae.

Diligunt nempe concives suos, per quos suae ruinae scissuras restaurari exspectant. Ideoque magna cura et vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis et locis, succurrentes et providentes necessitatibus nostris, et solliciti discurrentes inter nos et te, Domine, gemitus nostros et suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuae benignitatis propitiationem

et referant ad nos desideratam tuae gratiae benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris; intrant et exeunt nobiscum, attente considerantes, quam pie, quam honeste in medio pravae nationis conversemur, quantoque studio et desiderio quaeramus regnum tuum et justitiam ejus, quantoque timore et tremore serviamus et exultemus tibi in laetitia cordis nostri. Adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, congaudent gaudentibus, de te (inquam) gaudentibus, compatiuntur patientibus, pro te (inquam) patientibus.

Grandis est eis cura de nobis; magnus est affectus dilectionis eorum erga nos, et hoc totum propter honorem tuae inaestimabilis caritatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim, quos tu diligis, custodiunt, quos tu custodis, et deserunt, quos tu deseris, nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam et tu odisti omnes operantes iniquitatem, et perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus, gaudent angeli et tristantur daemones;

quoties a bono deviamus, diabolum laetificamus et angelos tuos suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis super uno peccatore poenitentiam agente, sed diabolo super uno justo poenitentiam deserente. Da igitur, da, pater, eis semper gaudere de bonis, ut et tu semper per eos lauderis in nobis, et nos cum eis in unum ovile tuum adducamur, ut confiteamur simul nomini sancto tuo, creator hominum et angelorum.

Haec ipse commemorans, coram te confiteor, laudans te, quoniam beneficia tua magna sunt haec, quibus nos honorificasti, dans nobis angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim, quidquid coeli ambitu continetur, et quasi prava reputas haec, quae sub coelo sunt, nisi dares etiam ea, quae sunt super coelos.

Laudent te, Domine, de hoc omnes angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, et ipsi sancti tui tibi benedicant. O honorificentia nostra, nos nimis honorificans, ditans, multis muneribus decorasti.

Admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra.

Cap. X.

Deus omnium creaturarum inspector et perscrutator.

Tanta erga nos bonitas tua est, et tam larga sunt tua beneficia, Domine, Deus meus, vita animae meae, de quibus dulce esset mihi semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, ut possim te semper pro omnibus bonis tuis laudare, et amare te toto corde meo et tota anima et tota mente et tota fortitudine mea, simul ex omnibus medullis et intimis cordis mei et omnium compagum mearum.

Beata dulcedo, Domine, Deus meus, omnium, qui delectantur in te. Sed viderunt oculi tui imperfectum meum, oculi, inquam, tui multo lucidiores sole, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et in omni loco contemplantes bonos et malos. Cum enim cunctis praesideas sin-

gula implens, totus semper ubique praesens cunctorumque curam agens, quae fecisti, sic gressus meos semitasque consideras et die nocteque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturae tuae coeli et terrae oblitus tantum me solum consideres et nihil sit tibi curae de aliis. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuae, si tantum unum aspicias, neque minuitur, si innumera videas ac diversa, quia, sicut una totum simul perfecte consideras, sic singula quaelibet, licet diversa, perfecte simul totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic unum, et sicut unum, sic singula totus simul sine divisione vel commutatione vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore totum me simul semperque consideras ac si nihil aliud considerare debeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis et mihi soli intendere velis.

Semper quippe te praesentem ex-

hibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram; ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubicumque es, ut, quocumque iero, inveniam te, per quem possim esse, ne peream sine te, cum sine te esse non possim. Fateor quidem, quia, quidquid facio et quaecumque facio, ante te facio, et illud quidquid est quod facio, melius tu vides, quam ego, qui facio. Quidquid enim semper operor, tu semper pariter praesens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum et operationum mearum. Domine, ante te semper est omne desiderium, ante te tota cogitatio mea. Tu, Domine, vides, unde veniat spiritus, ubi sit et quo vadat, quia tu es omnium spirituum ponderator; et utrum radix sit dulcis an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur, tu judex melius ipse nosti, et etiam medullas radicum subtilius perscrutaris. Et non solum intentionem, sed radicis ejus medullam disertissima tuae lucis

veritate colligis, numeras, intueris et consignas, ut reddas unicuique non solummodo secundum opera vel intentionem, sed etiam secundum ipsam interiorem absconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad quod tendo, cum operor, quidquid cogito et in quocumque delector, tu vides, aures tuae audiunt, oculi tui vident et considerant et scribis in libro tuo, sive bonum fuerit sive malum, ut reddas postea pro bono praemia, pro malo supplicia, quando aperientur libri et judicabuntur secundum haec, quae fuerunt scripta in libris tuis.

Hoc est forte, quod jam dixisti nobis: considerabo novissima eorum, et quod de te, Domine, dicitur: universorum finem ipse considerat, quoniam tu quidem in omnibus, quae agimus, finem intentionis magis, quam actum operationis attendis.

Cumque hoc diligenter considero, Domine, Deus meus, timore pariter ingenti et rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas, juste

recteque vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.

Cap. XI.

Deus omnium bonorum largitor.

Fortissime, omnipotens, Deus spirituum universae carnis, cujus oculi sunt super omnes vias filiorum Adam a die nativitatis eorum usque ad diem exitus eorum, ut reddas unicuique secundum opera sua, bona vel mala, ostende mihi, ut confitear tibi paupertatem meam, quoniam dixi, quod dives essem et nullius egerem, et nesciebam, quoniam pauper eram et nudus et miser et miserabilis. Credebam enim, me fore aliquid, cum nihil essem. Dixi: sapiens efficiar et stultus factus sum. Cogitabam, me esse prudentem et deceptus sum et video nunc, quia donum tuum est, sine quo nihil possumus facere, quia, nisi tu, Domine, custodieris civitatem, frusta vigilat, qui custodit eam. Sic docuisti me, ut cognoscerem me; quia dereliquisti me

et probasti me, non propter te, quod cognosceres me, sed propter me, ut cognoscerem me. Nam, ut dixi, Domine, credebam, me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me, nec percipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti a me, et cecidi statim in me: vidi et cognovi, quoniam tu regebas me, et quod cecidi, fuit ex me, et quod surrexi, ex te.

Aperuisti mihi oculos, lux, et excitasti et illuminasti me, et vidi, quoniam tentatio est vita hominis super terram, et quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec justificabitur omnis vivens, quoniam, si quid boni est, parvi vel magni, donum tuum est, et nostrum nonnisi malum est. Unde igitur gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? Haec non est gloria sed miseria. Sed numquid gloriabitur de bono? Tuum, Domine, bonum est, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quaerit, hic fur est et latro et similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui enim

laudari vult de tuo dono et non quaerit in illo gloriam tuam, sed suam, hic licet propter tuum donum laudetur ab hominibus, a te tamen vituperatur, quia de dono tuo non tuam, sed suam gloriam quaesivit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec liberabitur, condemnante te.

At tu, Domine, formator meus ab utero matris meae, ne me sinas cadere in illam exprobrationem, ut exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam; tibi enim sit gloria, cujus est omne bonum, nobis autem confusio faciei et miseria, quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri. Misereris quippe, Domine, misereris omnium et nihil odisti eorum, quae fecisti, et das nobis de bonis tuis et ditas nos, Domine Deus, inopes optimis donis tuis, quoniam diligis pauperes et divites facis eos divitiis tuis.

Ecce nunc pauperes, Domine, nos filii tui sumus et pusillus grex tuus; aperi nobis januas tuas et edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt

te, qui requirunt te. Scio enim, Domine, et confiteor, docente te: quoniam illi soli, qui cognoscunt se pauperes et confitentur tibi paupertatem suam, ditabuntur a te, quoniam, qui se dives existimant, cum sint pauperes, a tuis divitiis invenientur exclusi. Ego igitur confiteor tibi, Domine, Deus meus, paupertatem meam, ut sit tibi tua gloria tota, quoniam tuum est omne bonum per me gestum. Domine, confiteor, ut docuisti me, nihil aliud sum, quam universa vanitas et umbra mortis et abyssus quaedam tenebrosa et terra inanis et vacua, quae sine tua benedictione nil germinat, fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum et mortem. Sed quid boni unquam habui, a te recepi; quidquid boni habeo, tuum est vel a te habeo. Si quando steti, per te steti, sed quando cecidi, per me cecidi, et semper in luto jacuissem, nisi tu me erexisses; postquam etiam me erexisti, semper cecidissem, nisi tu me sustinuisses; saepius periissem, nisi me gubernasses.

Sic semper, Domine, sic semper gratia tua et misericordia tua praevenit me, liberans me ab omnibus malis, salvans a praeteritis, suscitans a praesentibus, muniens a futuris, praecidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones et causas, quia, nisi tu hoc mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem; sed quod non facerem, tu fecisti. Tu namque, Domine, regebas me tibi et mihi, et gratiam et lumen donasti.

Cap. XII.

Deus coelestium et terrestrium laudatio civium.

Te, Domine, decet laus, te decet honor, te decet hymnus; tibi omnes angeli, tibi coeli et universae potestates hymnos dicunt et laudes indesinenter concinunt, utpote creatori creaturae, domino servi, regi milites. Te sanctam et individuam trinitatem omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat. Tibi cuncti humiles

corde, tibi spiritus et animae justorum, tibi omnes superni cives et beatorum spirituum ordines gloriam et honorem suppliciter adorantes concinunt sine fine. Laudant te, Domine, illi superni cives magnifice et honorabiliter: laudat te homo, magna portio creaturae tuae.

Sed et ego peccator homuncio desiderio magno cupio te laudare, et amare te opto amore praecipuo. Deus meus, fortitudo mea, vita mea et laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam et lingua mea tota die cantet laudes tuas.

Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, munda, obsecro, cor meum ab omni iniquinamento; sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius et exterius, et fac me dignum laudibus tuis. Suscipe benigne et acceptabiliter de manu cordis et de mentis amore, suscipe sacrificium labiorum meorum, fiatque acceptabile in conspectu tuo et ascendat ad te in odorem suavitatis. Memoria tua sancta et dul-

cedo tua benignissima possideat totam animam meam atque in invisibilium amorem rapiat eam. Transeat de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad coelestia, de temporalibus ad aeterna, transeat et videat visionem mirabilem.

O aeterna veritas et vera caritas et cara aeternitas, tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desidero. Qui novit te, novit veritatem, novit aeternitatem. Tu veritas super omnia praesides, quem videbimus, sicuti es, cum pertransierit haec vita caeca et mortalis, in qua dicitur nobis: ubi est Deus tuus? Et ego dico: Deus meus, ubi es? Respiro in te paululum, cum effundo super te animam meam in voce exultationis et confessionis soni epulantis et festivitatem celebrantis; et adhuc tristis est, quia relabitur et fit abyssus, vel quia potius sentit, se adhuc esse abyssum. Quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in Deo, lucerna pedibus meis verbum ejus; spera et persevera, donec pertranseat nox, mater

iniquorum, donec pertranseat ira Dei, cujus fuimus aliquando filii, donec pertranseat impetus aquarum; residua adhuc trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies et inclinentur umbrae. Mane astabo et contemplabor semperque confitebor ei; mane astabo et videbo salutare vultus mei Deum meum, qui vivificabit mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum ejus in nobis, ut jam simus lux, dum adhuc spe salvi facti sumus et filii diei, non noctis, neque tenebrarum. Fuimus enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in te, Deus noster, et tamen adhuc per fidem, necdum per speciem. Spes enim, quae videtur, non est spes.

O beatae nimium coelorum virtutes, quae laudare possunt te sancte et purissime cum nimia dulcedine et ineffabili exultatione. Inde laudant, unde gaudent, quia semper vident, unde gaudere valeant et laudare.

Nos vero mole carnis pressi et procul a vultu tuo in hac peregrinatione positi atque per mundanas varietates

distenti te digne laudare nequimus; laudamus tamen per fidem, non per speciem; illi vero angelici spiritus per speciem non per fidem. Hoc enim caro facit, ut multo aliter laudemus, quam illi; sed licet diversis modis laudes dicamus, tu unus es Deus, creator omnium, cui sacrificium laudis in coelo et in terra offertur. Perventuri tamen sumus misericordia tua ad eorum consortium, cum quibus te semper videbimus et sine fine laudabimus.

Tribue, Domine, ut, donec in hoc fragili corpore positi sumus, laudemus te corde et lingua, omnibus viribus corporis et animae, et fac nos per ipsam gratiam tuam in fide stabiles et in opere efficaces, ut per fidem rectam et condigna fidei opera ad vitam, te miserante, perveniamus aeternam, ut ibi videntes gloriam tuam adoremus majestatem, et dicamus pariter, quos dignos feceris videre gloriam tuam:

Gloria patri, qui creavit nos; gloria filio, qui redemit nos; gloria spiritui sancto, qui sanctificavit nos;

gloria summae et individuae trinitati, cujus regnum sine fine manet.

Cap. XIII.

Deus summum et unicum bonum.

Cum ergo pervenerimus ad te sapientiae fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inextinguibilem, ut te non jam per speculum in aenigmate, sed facie ad faciem videamus, tunc saturabitur in bonis desiderium nostrum, quia nihil erit exterius, quod desideretur, nisi tu, Domine, summum bonum, qui eris praemium beatorum et diadema decoris eorum et laetitia sempiterna super capita eorum, pacificans eos intus et extra in pace tua, quae exsuperat omnem sensum. Ibi videbimus, amabimus et laudabimus. Videmus in lumine tuo lumen tuum, quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen. Quale autem lumen? Lumen immensum, lumen incorporeum, lumen increatum, lumen divinum, quod illuminat oculos

angelorum, quod laetificat juventutem sanctorum, quod est lumen luminum et fons vitae, quod es tu, Domine Deus. Tu es quippe lumen, in cujus lumine videbimus faciem, te scilicet in te, in splendore vultus tui, quando te videbimus facie ad faciem. Quid est videre faciem ad faciem, nisi, quod ait apostolus, cognoscere sicut et cognitus sum: cognoscere veritatem tuam et gloriam tuam? Hoc est cognoscere faciem tuam: cognoscere patris potentiam, filii sapientiam, spiritus sancti clementiam, ipsius summae trinitatis unam et individuam essentiam. Videre faciem Dei vivi, hoc est summum bonum, gaudium angelorum atque omnium sanctorum, praemium vitae aeternae, gloria spirituum, laetitia sempiterna, corona decoris, brabeum felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum et aeternum gaudium, paradisus Dei et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum.

Haec est plena beatitudo et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui: videre eum, qui fecit coelum et

terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, et qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Ipse enim erit haereditas populi sui, populi sanctorum, quem redemit; ipse possessio felicitatis eorum, ipse praemium et merces exspectationis. Ero, inquit, merces tua magna nimis; magnum enim magna decent.

Vere, Domine, Deus meus, magnus es tu nimis super omnes deos et merces tua magna nimis. Tu coronator es et corona, tu ipse promissor es et promissio, tu remunerator et munus, tu praemiator et praemium felicitatis aeternae. Tu ergo, Deus meus, es diadema spei mei, quae ornata est gloria, lumen laetificans, lux renovans, decor adornans. Visio tota tua merces est, totum praemium et totum gaudium, quod exspectamus. Haec est enim vita aeterna, ut cognoscamus te solum Deum verum et quem misisti, Jesum Christum.

Cum igitur videbimus te solum Deum, Deum verum, Deum vivum,

omnipotentem et incomprehensibilem, et filium tuum unigenitum consubstantialem et coaeternum tibi dominum nostrum Jesum Christum, quem pro salute nostra misisti in mundum in virtute spiritus sancti, trinum in personis et unum in essentia, Deum sanctum solum, extra quem non est Deus, tunc habebimus, quod nunc quaerimus, vitam aeternam, gloriam sempiternam, quam praeparasti diligentibus te, quam abscondisti timentibus te, quam daturus es quaerentibus faciem tuam semper.

Et tu, Domine, Deus meus, formator meus ex utero matris meae, quae me recommendavit manui tuae, non me permittas amplius ex uno distrahi in multa, sed collige me de exterioribus ad me, de me ad te, ut dicat tibi semper cor meum: exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram, faciem Domini virtutum, in qua sola consistit tota gloria sempiterna beatorum.

Laetetur ergo cor meum, ut timeat nomen tuum; laetetur cor quaerentium

Dominum, sed multo magis cor invenientium. Si enim laetitia est in quaerendo, qualis laetitia erit in inveniendo? Quaeram ergo semper ardenter et indesinenter faciem tuam, si quando tandem aperiatur mihi ostium et porta justitiae, ut intrem in gaudium Domini mei.

Cap. XIV.

Deus ejusque majestas altissimum animae desiderium.

Deus, lumen cordium te videntium et vita animarum te amantium et virtus cogitationum te quaerentium, da, ut sancto tui amori adhaeream. Veni, rogo, in cor meum, et ab ubertate voluptatis tuae inebria illud, ut obliviscar haec temporalia.

Felix enim anima, quae terreno resoluta carcere coelum petit, quae te, dulcissimum dominum facie ad faciem cernit, quae nullo metu mortis afficitur, sed de incorruptione perpetuae gloriae laetatur. Tranquilla est et

secura, jam non timet hostem nec mortem. Habet te pium Dominum, quem diu quaesivit semperque amavit; hymnidicis sociata choris, melliflua perpetuae festivitatis carmina ad laudem gloriae tuae, rex Christe, bone Jesu, in aeternum concinit. Felix societas supernorum civium et gloriosa solemnitas omnium ad te redeuntium ab hujus nostrae peregrinationis tristi labore ad amoenitatem pulchritudinis, ad formositatem totius splendoris atque dignitatem totius elegantiae; ibi te jugiter, Domine, tui cives cernunt. Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima angelorum melodia, cantica canticorum mira, quae ad salutem et gloriam tuam a supernis civibus decantantur. O quam fortunatus ero, si audivero jucundissimas civium tuorum cantilenas, carmina melliflua, laudes summae trinitati debito honore promentia, sed et nimium felix, si ego ipse meruero cantare canticum Domino Jesu Christo de dulcibus canticis Sion.

O vita vitalis, vita sempiterna et

sempiterne beata, ubi gaudium sine moerore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, beatitudo sine fine; ubi omnia bona in caritate perfecta, ubi species et visio facie ad faciem, ubi plena scientia in omnibus et per omnia, ubi summa Dei bonitas cernitur, et lumen illuminans a sanctis glorificatur, ubi praesens majestas Dei conspicitur, et hoc vitae cibo sine defectu mens intuentium satiatur; ubi verus sol justitiae mira suae pulchritudinis visione omnes reficit et universos coelestis patriae cives illuminat, ut luceant ipsi, lumen videlicet illuminatum per divinum lumen, illuminans ultra omnem solis nostri splendorem atque cunctarum stellarum claritatem! Immortali enim adhaerentes Deitati ipsi immortales et incorruptibiles facti sunt juxta promissionem Domini salvatoris: pater, quos dedisti mihi. volo, ut ubi ego sum et illi sint mecum. ut videant claritatem

meam; ut omnes unum sint, sicut tu pater in me et ego in te.

Regnum coelorum, regnum felicissimum, regnum carens morte et vacans fine, cui nulla tempora succedunt per aevum; ubi continuus sine nocte dies; ubi victor miles post laborem donis ineffabilibus cumulatur, nobile perpetua caput amplectente corona; utinam remissa peccatorum mole me ultimum servorum Christi juberet divina pietas hanc carnis sarcinam deponere, ut in suae civitatis gaudia aeterna repausandus transirem, praesentem Dei vultum cernerem, omnem ignorantiae caecitatem amitterem, terrena cuncta parvi penderem, et convallem lacrimarum istam intueri vel reminisci ulterius non dignarer! Nam vita terrena est vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, ancilla infernorum, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëres morbidant, escae inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiae consumunt, divitiae jactant, paupertas dejicit, ju-

ventus extollit, senectus incurvat, diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excaecatur, totus homo conturbatur et his tot et tantis malis mors furibunda succedit vanisque gaudiis ita finem imponit, ut cum esse desierint, nec fuisse putentur. O vita, quam Deus praeparavit diligentibus se, tu vita vera, tu vita beata.

SECTIO SECUNDA.

MISERIA HOMINIS.

Cap. XV.

Homo miser et vilis et fragilis.

Quid est homo, ut possit alloqui Deum, factorem suum? Parce mihi colloquenti tibi; ignosce servo tuo, qui praesumit loqui tanto Domino; legem non habet necessitas. Dolor me compellit dicere; calamitas, quam patior, cogit exclamare: aegrotus sum, ad medicum clamo, caecus sum, ad lucem propero, mortuus sum, ad vitam suspiro.

Tu es medicus, tu lux, tu vita: Jesu Nazarene, miserere mei, fili Da-

vid, miserere mei. Fons misericordiae, audi, quid ad te clamat infirmus; lux, quae transis, exspecta caecum, praebe ei manum, ut ad te veniat et in lumine tuo videat lumen, vita vivens, revoca mortuum.

Quid sum ego, qui loquor tecum? Vae mihi, Domine; parc mihi Domine: Ego cadaver putridum, esca vermium, vas foetidum, cibus ignium. Quid sum ego, qui loquor tecum? Vae mihi, Domine; parce mihi, Domine: infelix ego homo; homo, inquam, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis; homo, inquam, vanitati similis factus, comparatus jumentis insipientibus et jam similis factus illis. Quid iterum ego? Abyssus tenebrosa, terra misera, filius irae, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia. Heu miser, quid sum, quid futurus sum? Vas sterquilinii; caecus, pauper, nudus, plurimis necessitatibus subditus, et ignorans introitum et exitum meum, miser et mortalis; cujus dies sicut umbra

praetereunt, cujus vita sicut umbra lunatica evanescit, sicut flos in arbore crescit, nunc floret et statim aret. Vita mea, vita fragilis, vita caduca, vita, quae quanto magis crescit, tanto magis ad mortem accedit; vita fallax et umbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, statim tristor; nunc vigeo, jam infirmor; nunc vivo, statim morior; nunc felix appareo, jam miser; nunc rideo, jam fleo, sicque omnia mutabilitati subjacent, ut nihil una hora in uno statu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat, hisque subsequitur importuna mors, quae mille modis quotidie miseros homines inopinate rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus, hunc consumit fames, illum sitis extinguit; hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo; illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat; hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantum repentino terrore miseram vitam finire compellit. Et nunc super

haec omnia miseria magna, quia, cum nihil sit certius morte, ignorat tamen homo finem suum; et cum stare putat, colliditur et perit spes ejus. Nescit enim homo, quando vel ubi vel quomodo sit moriturus, et tamen certum est, eum mori oportere.

Ecce, Domine, quam magna miseria hominis, in qua sum, nec timeo, quam grandis calamitas, quam patior, nec doleo, nec ad te clamo. Dicam ergo, dicam miseriam meam, confitear nec erubescam, ante te vilitatem meam. Adjuva me, fortitudo mea, per quam sublevor; succurre virtus, per quam sustentor; veni lux, per quam video; appare vita, in qua vivam, o Domine, Deus meus.

Cap. XVI.

Propter peccatum visionem Dei homo perdidit miseriamque invenit.

Domine, Deus meus es tu et Dominus meus et nunquam vidi te; tu

me fecisti et refecisti, et omnia bona tu mihi contulisti, et nondum vidi te; denique ad te videndum factus sum et nondum feci id propter quod factus sum. O misera sors hominum, cum peccato hoc perdidit, ad quod factus est. O dirus et durus casus ille! Heu quid perdidit et quid invenit? quid abscessit et quid remansit? Perdidit beatitudinem, ad quam factus est, et invenit miseriam, ad quam factus non est; abscessit, sine quo nihil felix est, et remansit, quod per se nonnisi miserum est. Manducabat tunc homo panem angelorum, quem nunc esurit; manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat.

O tu, Domine, usquequo oblivisceris in finem? Usquequo avertis faciem tuam a nobis? Quando respicies et exaudies nos? Quando illuminabis oculos nostros et ostendes nobis faciem tuam? Quando restitues te nobis? Respice, Domine, et exaudi et illumina nos et ostende nobis teipsum. Restitue te nobis, ut bene sit nobis, sine quo tam male est nobis. Invita

nos, adjuva nos, obsecro, Domine! Amaricatum est cor meum sui desolatione; indulcora illud tua consolatione, obsecro, Domine.

Esuriens coepi quaerere te, ne deserar jejunus a te; famelicus accessi, ne recedar jejunus; pauper veni ad divitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus et contemptus. Domine, incurvatus sum et non possum nisi deorsum aspicere; erige me, ut possim sursum videre vel intendere. Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, obvolverunt me et sicut onus grave gravant me; evolve me et exonera me, ne urgeat super me puteus os suum. Doce me quaerere te, et ostende te quaerenti, quia nec quaerere te possum, nisi doceas tu, nec invenire, nisi te ostendas. Quaeram te desiderando, desiderem te quaerendo, inveniam amando, amem inveniendo.

Cap. XVII.

Hominis accusatio et misericordiae divinae commendatio.

Ecce plasmator mei, multa rogavi, qui nec pauca promerui. Fateor, heu, fateor, non solum, quae postulo, non debentur, dona, sed multa et exquisita supplicia. Animant tamen me publicani, qui a faucibus hostis eruti sinibus excipiuntur pastoris. Tu enim factor omnium, Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Unde de temetipso per quendam tuum servum dixisti: miserationes ejus super omnia opera ejus. Et quasi de singulo loquentem de universo populo tuo te dixisse confidimus: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, neminem abjicis, neminem perhorrescis, nisi forte, qui amens te exhorruerit. Ergo non iratus modo non percutis,

sed te irritantibus dona, si quaesierint, tribuis.

Deus meus, cornu salutis meae et susceptor mei, ego infelix, ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi et passus es, deliqui et adhuc sustines. Si poeniteo, parcis; si revertor, suscipis; insuper, dum differo, praestolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, exspectas torpentem, amplexaris redeuntem, doces ignorantem; moerentem mulces, a ruina suscitas, post lapsum reparas; petenti largiris, quaerenti inveniris, et pulsanti aperis. Ecce Domine, Deus salutis meae, quid apponam, nescio; quomodo respondeam, ignoro. Nullum abs te confugium, nullum patet a te latibulum.

Ostendisti mihi bene vivendi viam, et gradiendi scientiam dedisti; minatus es mihi gehennam, et pollicitus es mihi paradisi gloriam. Nunc pater misericordiarum et Deus totius consolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus, quae minaris, metuendo

evadam, et redde mihi laetitiam salutaris tui, ut, quae spondes, diligendo percipiam. Fortitudo mea, Domine, firmamentum meum, Deus meus, refugium meum et liberator meus, suggere, quid de te cogitem; doce, quibus te sermonibus invocem; da, quibus operibus tibi placeam. Scio namque, scio unum, quo tu placaris et quod non spernis: est utique tibi spiritus contribulatus sacrificium, et acceptas cor contritum et humilitatum.

His me, Domine, Deus meus, adjutor meus, dita muneribus; his contra inimicum muni protectionibus; hoc de flammis vitiorum praesta refrigerium; his autem desideriorum passionibus pande pium refugium.

Fac, Domine, virtus salutis meae, ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli, spes mea in die afflictionis et salus in tempore tribulationis.

En, Domine, illuminatio mea et salus mea, rogavi, quibus egeo; intimavi, quae timeo; sed remordet me

conscientia, reprehendunt me cordis secreta, et quod amor ministrat, timor dissipat, zelus incitat, metus increpat. Acta mea formidinem, sed tua ingerit pietas fiduciam; tua hortatur benignitas, mea tardat malignitas; et ut verius fatear, occurrunt memoriae phantasmata vitiorum, quae reverberant audaciam praesumentium animorum.

Cap. XVIII.

Hominis conquestio, qui propter inobedientiam a Domino non auditur.

Cum enim quis odio dignus sit, qua fronte gratiam requirit? Cui poena debetur, qua temeritate gloriam deposcit? Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti quaerit praemiis honorari; regi insultat obnoxius supplicio, qui donari flagitat indebito brabio, et dulcem affectum patris stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias ante poenitudinem haereditatis usurpat celsitudinem.

Quid, mi pater, me gessisse recolo? Merui mortem et peto vitam; commovi regem meum, cujus impudens invoco praesidium; contempsi judicem, quem temere postulo adjutorem; insolens renui audire patrem, quem demum praesumo habere tutorem!

Heu, mihi, quam sero venio! heu, heu, quam tarde festino! heu me, quia curro post vulnera, dedignans incolumis praecavere jacula. Neglexi prospicere tela, modo vero sollicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia modernis iniquitatibus reciprocavi, et quae divina solidaverat medicina, mea resolvit prurigo phrenetica. Cutis, quae superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit, quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit.

Novi quippe scriptum: in quacumque hora justus peccaverit, omnes justitiae ejus obliviscentur. Si justitia aboletur justi ruentis, quanto magis

poenitentia peccatoris in idipsum revertentis? Quoties ut canis redii ad vomitum et quasi sus repetii volutabrum?

Fateor, quia mihi recordari est impossibile, quot mortalium ignorantes peccare docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coëgi, volentibus consensi, quot sane gradientibus laqueum induxi, viam quaerentibus foveam retexi; ut patrare non horrerem, oblivisci non metui.

Sed tu justus judex signans peccata, quasi in sacculo observasti omnes semitas meas, et cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti et patiens fuisti. Vae mihi, demum loqueris quasi parturiens!

Cap. XIX.

Hominis examinatio judicii extremi.

Deus deorum, Domine praestabilis super malitia, novi, quia manifestus venies; novi, quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet

et in circuitu tuo tempestas valida ingruerit; cum advocaveris coelum desuper et terram discernere populum tuum. Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meae; tot agminibus angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum sed etiam cogitationum simulque locutionum. Tot judicibus inops astabo, quot me praecesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi praebuerunt bene vivendi exemplar; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus seque imitandos justis dederunt actionibus. Domine mi, non suppetit, quid dicam; non occurrit, quid respondeam. Et cum jam intersim saevo illi discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas objurgat, discordia dissipat, ira perturbat, lenitas dissolvit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio

frangit, favor attollit, calumnia pungit.

Ecce, liberator meus de gentibus iracundis, ecce, cum quibus vixi a die nativitatis meae, quibus et studui, quibus et fidem servavi; ipsa me, quae dilexeram, studia damnant; quae laudaveram, vituperant.

Hi sunt, quibus acquievi, amici; quibus parui, magistri, et quibus servivi, domini; consules, quibus credidi, cives, quibus cohabitavi, domestici, quibus consensi.

Heu mihi, rex meus et Deus meus, quia incolatus meus prolongatus est! Vae mihi, illuminatio mea, qui habitavi cum habitantibus Cedar! Et cum David sanctus dixerit multum, quanto magis ego infelix dicere possum: nimis incola fuit anima mea.

Firmamentum Deus meus, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Spes mea non est in filiis hominum. Quem, si remota pietate judicaveris, justum invenies? Et nisi praeveneris miserando impium, non est qui glori-

ficet pium. Credo namque, salus mea, quod audivi, quoniam benignitas tua ad poenitentiam me adducit; tui oris mihi sonuerunt nectarea labia: nemo potest venire ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum.

Enimvero, quia me instruxisti, totis medullis cordis mei, toto nisu mentis rogo te, omnipotens pater, cum dilectissimo filio tuo, teque dulcissima proles cum serenissimo invoco paracleto, trahe me, quatenus post te curram in odorem unguentorum tuorum dulciter.

SECTIO TERTIA.

MISERICORDIA DOMINI.

Cap. XX.

Amor patris erga genus humanum.

Hucusque, omnipotens Deus, cordis mei inspector et scrutator, confessus sum omnipotentiam majestatis tuae et majestatem omnipotentiae tuae, nunc autem, qualiter humano generi subvenire dignatus es in fine saeculorum, sicut corde credo ad justitiam, ita ore coram te confiteor ad salutem.

Tu quidem Deus pater solus, nunquam et nusquam legeris missus; de filio autem tuo ita scribit apostolus: cum autem venit plenitudo temporis,

misit Deus filium suum. Cum dicit: misit, satis ostendit, quod in hunc mundum missus advenit, cum de beata Maria semper virgine natus, verus et perfectus homo in carne apparuit. Quam videlicet missionem opus esse totius trinitatis, corde credo et ore confiteor.

Quomodo autem nos amasti, pater sancte et bone? Quantum nos dilexisti, qui etiam proprio filio non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti illum? Subditus tibi ille fuit usque ad mortem, mortem autem crucis, tollens chirographum peccatorum nostrorum, et affigens illud cruci crucifixit peccatum et occidit mortem. Unus ille inter mortuos liber, potestatem habens ponendi animam suam pro nobis et iterum eam sumendi pro nobis. Igitur victor et victima, et ideo victor, quia victima pro nobis; tibi sacerdos et sacrificium, et ideo sacerdos, quia sacrificium.

Merito mihi spes valida in illo est, quia sanabis omnes languores meos per eum, qui sedet ad dexteram tuam

et interpellat pro nobis. Languores quippe mei, Domine, magni sunt et multi; multi sunt et magni. Habet enim multa in me princeps hujus mundi, scio et fateor; sed rogo te, libera me per sedentem ad dexteram tuam, redemptorem nostrum, in quo nihil sui mali potuit invenire.

Per ipsum me justifica, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; per ipsum, caput nostrum, in quo nulla est macula, libera me, membrum ejus licet exiguum et infirmum; libera, quaeso, me a peccatis, vitiis, culpis et negligentiis meis. Reple me tuis sanctis virtutibus, et fac me bonis pollere moribus; fac me in sanctis operibus propter nomen sanctum tuum perseverare usque in finem secundum voluntatem tuam.

Cap. XXI.

Exponit homo Deo patri vitam filii in sui reconciliationem.

Ecce, pater benignissime, direxi tibi advocatum, dilectum filium tuum; misi gloriosam progeniem inter me et te mediatorem; misi, inquam, intercessorem, per quem confido veniam; misi verbis verbum, quod pro meis dixi missum factis, et numeravi tibi sanctissimae sobolis vitam et passionem, quam pro me credo fuisse perpessam.

Credo a te missam deitatem, meam suscepisse humanitatem, in qua dignum duxit alapas, vincula, sputa, irrisiones perferre, nec non crucem, clavos telumque suscipere. Hanc olim infantiae vagitibus demolitam, pueritiae pannis constrictam, juventutis sudoribus vexatam, jejuniis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus fessam, postea affectam flagris, laceratam suppliciis, deputatam cum mortuis, dotatam gloria

resurrectionis coelorum gaudio induxit, et in dexteram tuae celsitudinis collocavit. Haec placatio mea, haec propitiatio tua.

Hic attende pius, quem genueris filium et quem redemeris servum; hic aspice factorem et ne despicias facturam; amplectere serenus pastorem et respice misericors allatam propriis humeris ovem. Hic est fidelissimus pastor ille, qui ovem dudum errabundam per abrupta montium, per praecipitia vallium, multis variisque quaesierat laboribus, quique jam morienti, jam per longa exilia deficienti, tandem inventae gaudens se supposuit et miro sibi annisu caritatis annexam, de profunda confusionis abysso levavit, piisque adstrictam complexibus ad nonaginta novem, unam, quae perierat, reportavit. Ecce, Domine, mi rex, Deus omnipotens, ecce, pastor bonus refert tibi, quod commisisti ei. Suscepit, te disponente, ad salvandum hominem, quem tibi restituit omni labe immunem. Ecce tuum tibi clarissimus natus plasma reconciliavit, quod a te

procul deviavit; en gregi tuo pastor mitis reportat, quod praedo violentus abegerat; reddit tuis conspectibus servum, quem fecerat conscientia fugitivum, ut, qui per se meruit poenam, per satisfactionem hujus mereatur veniam, cuique pro culpis supererat gehenna, tanto duce, jam confidat revocari ad patriam.

Potui per me, sancte pater, offendere, sed non valui per me placare te. Factus est adjutor meus, Deus meus, tuus dilectus filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem, quatenus, unde causa emerserat offensionis, deinde tibi immolaret sacrificium laudis, meque per hoc redderet tuae pietati placabilem, quo sedens ad dexteram tuam semper meae substantiae se ostenderet esse consortem. Ecce spes mea, ecce fiducia mea.

Si me pro mea, ut dignum est, despicis iniquitate, respice me saltem misericors pro delictae sobolis caritate.

Attende in filio, quo propitieris servo; vide carnis sacramentum et remitte carnis reatum. Quoties beatae

prolis tibi patent vulnera, delitescant, obsecro, scelera mea; quoties rubet pretiosus pio de latere sanguis, diluantur, obsecro, labes meae pollutionis, et quia caro te lacessivit ad iram, caro te flectat, imploro, ad misericordiam, ut, sicut me caro seduxit ad culpam, sic caro deducat ad veniam. Multum namque est, quod mea meretur impietas, longe autem majus, quod redemptoris mei reposcit jure pietas. Magna est enim mea injustitia, satis vero major redemptoris justitia; quanto namque est superior Deus homine, tanto mea malitia est inferior ejus bonitate, et qualitate et quantitate. Quid enim deliquit homo, quod non redemerit filius Dei factus homo? Quodnam tantum mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium?

Cap. XXII.

Exponit homo Deo patri passionem filii in sui reconciliationem.

Te, omnipotens pater, per omnipotentis filii caritatem postulo: educ de carcere ad confitendum nomini tuo animam meam; libera me a vinculis peccatorum, per coaeternum flagito unicum tibi natum, meque, cui propria merita lethalem minantur sententiam, pretiosissimae ad dexteram tuam consedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam.

Quem enim alium dirigam intercessorem tibi, nescio, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis.

Ecce advocatus meus apud te Deum patrem; ecce pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, quia proprio refulget perfusus cruore; ecce hostia sancta, bene placens et perfecta, in odorem suavitatis oblata et accepta;

ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit, qui alapis caesus, sputis illitus, opprobiis affectus, os suum non aperuit. En, qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, et languores nostros suo livore sanavit.

Aspice, pie pater, piissimum filium pro me tam impia passum: respice, clementissime rex, quis patitur et reminiscere benignus, pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem, ut servum redimeres, filium tradidisti? Numquid non auctor vitae hic est, qui, ut ovis ad occisionem ductus tibique usque ad mortem obediens factus atrocissimae non timuit necis genus subire? Recole, totius salutis dispensator, quia hic est ipse, quem, etsi ex tua virtute genuisti, meae tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Vere haec est tua Deitas, quae meam induit naturam, crucis ascendit patibulum, quae in assumpta carne triste tulit supplicium.

Reduc, Domine, Deus meus, oculos tuae majestatis super opus ineffabilis pietatis; intuere dulcem natum,

toto corpore extensum; cerne manus innoxias pio manantes sanguine, et remitte placatus scelera, quae patrarunt manus meae; considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, et renova me sacro fonte, quem inde credo fluxisse; vide immaculata vestigia, quae non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, et perfice gressus meos in semitis tuis, et fac me odio habere, benignus, omnes vias iniquitatis. Viam iniquitatis amove a me et fac me propitius viam veritatis eligere: fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui mea non horruit carne vestiri.

Numquid non attendis, pie pater, adolescentis filii carissimi caput nivea cervice deflexa pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice, mitissime conditor, dilectae sobolis humanitatem, et miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura

pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gratissimae prolis lacerata membra, et memorare benignus, quae mea est substantia; conspicare Dei hominis poenam, et relaxa conditi hominis miseriam; vide redemptoris supplicium, et redempti dimitte delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus, in quo dolus non est inventus, et tamen inter iniquos deputatus est.

Omnipotens Deus, pater Domini mei, dispone benignus, quo miserearis mei, quoniam, quidquid pretiosius inveni, devote obtuli, quidquid carius reperi, suppliciter representavi. Nihil jam superest, quod adjiciam, quia totam tibi delegavi spem meam.

Cap. XXIII.

Exprobrat sibi homo, se causam esse passionis Domini Jesu.

Quid commisisti, dulcissime Jesu, ut sic judicareris? Quid commisisti, amantissime, ut adeo dure tractareris? Quod scelus tuum, quae noxa tua, quae causa mortis, quae occasio tuae damnationis? Ego, ego sum tui plaga doloris, tuae culpa occisionis. O admirabilis censurae conditio, et ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus et punitur justus; delinquit reus et vapulat innocens; offendit impius et damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit caritas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio?

Ego enim inique egi, tu poena

mulctaris; ego facinus admisi, tu ultione plecteris; ego crimen edidi, tu torturae subjiceris; ego superbivi, tu humiliaris; ego tumui, tu attenuaris; ego inobediens exstiti, tu obediens scelus inobedientiae luis; ego gulae parui, tu inedia afficeris; me ad illicitam concupiscentiam rapuit ardor, te perfecta caritas duxit ad crucem; ego praesumpsi vetitum, tu subiisti aculeum; ego delector cibo, tu laboras patibulo; ego fruor deliciis, tu laniaris clavis; ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem.

Ecce, rex gloriae, ecce mea impietas et tua claret pietas; en mea injustitia et tua liquet justitia.

Quid, rex meus, Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condigne talibus referatur praemiis. Numquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio divina? Est autem, nate Dei, in hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppetit, si tua

visitatione compuncta mens carnem suam crucifigat cum vitiis et concupiscentiis. Et hoc, cum a te conceditur, quasi jam tibi incipit compati, quia et tu pro peccato meo dignatus es mori; sicque per interioris hominis victoriam, te duce, armabitur ad exteriorem palmam, quatenus devicta persecutione spirituali non vereatur pro amore tui subjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tuae complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere creatoris.

Nihil, quaeso, sine te, dulcissime Jesu crucifixe, nihil mihi complaceat, nil pretiosum, nihil praeter te mihi arrideat speciosum. Vilescant, obsecro, abs te mihi omnia, sordeant universa. Quod tibi adversum est, sit mihi molestum, et tuum beneplacitum mihi indeficiens desiderium. Taedeat me gaudere sine te, et delectet contristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, et memoria tui consolatio; fiant mihi lacrimae meae panes die ac nocte investigando justificationes tuas; sit bonum mihi lex oris tui super millia auri et

argenti. Sit obedire tibi mihi amabile, et resistere tibi execrabile.

Rogo te, spes mea, per omnes pietates tuas, ut propitieris impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, et ne declines, flagito per nomen sanctum tuum, in verba malitiae cor meum ad excusandas excusationes in peccatis.

Cap. XXIV.

Jesus bonus spes nostra unica.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui in cruce expansis manibus propter mortalium omnium redemptionem hausisti calicem passionis, mihi hodie praebere digneris auxilium. Ecce pauper venio ad divitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus vel contemptus. Esuriens incipio, ne desinam de te jejunus; famelicus accedo, ne recedam impastus, et si antequam comedam suspiro, da vel post suspiria, ut comedam.

Imprimis, dulcissime Jesu, coram

magnificentia tuae suavitatis confiteor adversum me injustitiam meam. Ecce, Domine, quia in peccatis fui conceptus et natus, et tu me abluisti et sanctificasti, et ego postea me majoribus sordidavi peccatis. Fui enim in necessariis natus, postea in spontaneis volutatus.

Tot beneficiorum ingratus, post religionis ingressum per baptismum, multa commisi illicita, multa perpetravi nefanda, et ubi peccata emendare debui, peccata peccatis addidi. Haec sunt mala mea, Domine, quibus exhonoravi te et maculavi me, quem ad imaginem et similitudinem tuam creasti, superbia, vana gloria, et cetera alia mala multa, quibus vexatur et affligitur, laceratur et destruitur infelix anima mea.

Ecce, Domine, iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me; et nisi tu, cui proprium est misereri semper et parcere, dexteram tuae majestatis supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. Attende, Domine Deus, et vide, quoniam sanctus,

et ecce, insultat adversum me inimicus meus dicens: Deus dereliquit eum, persequar et comprehendam eum, quia non est, qui eripiat.

Et tu, Domine, usquequo? Convertere et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. Miserere filii tui, quem in dolore non modico peperisti, et noli attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Quis est pater, qui filium non liberet? aut quis filius, quem pater pietatis baculo non corripiat? Ergo, pater et Domine, licet peccator sim, non possum non esse filius tuus, quia tu me fecisti et refecisti. Numquid oblivisci potest mater infantem uteri sui? Et certe, si illa oblita fuerit, tu pater promisisti te non oblivisci.

Ecce clamo et non exaudis me; dolore crucior et non consolaris me. Quid dicam vel quid faciam miserrimus? Heu me, de quanto bono in quantum malum cecidi! Quo tendebam et quo deveni! Ubi sum et ubi non sum! Ad quae aspiravi et nunc, in quibus suspiro! Quaesivi bona, et

ecce turbatio! Ecce jam morior, et Jesus non est mecum; et certe melius est mihi, non esse quam sine Jesu esse.

Et tu, Domine Jesu, ubi sunt misericordiae tuae antiquae? Numquid irasceris mihi in finem? Placare, obsecro, et miserere mei et non avertas faciem tuam a me, qui pro me redimendo non avertisti faciem tuam ab increpantibus et conspuentibus in te. Fateor, quia peccavi, et conscientia mea meretur damnationem, et poenitentia non sufficit ad satisfactionem, sed certum est, quod misericordia tua superat omnem offensionem. Noli, quaeso, Domine, scribere adversum me amaritudines meas, ut intres in judicium cum servo tuo, sed secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Vae, mihi misero, cum venerit dies judicii, et aperti fuerint libri conscientiarum, cum dicetur de me: ecce homo et opera ejus! Quid tunc faciam, Domine, Deus meus, cum coeli revelabunt iniquitatem meam et adversum

me terra consurget? Et ecce nihil respondere potero, sed, demisso capite prae confusione, coram te stabo trepidus et confusus. Heu, me miserum, quid dicam? Clamabo ad te, Domine, Deus meus, quare tacens consumor? Plange anima mea; ulula misera et plora, quoniam dimisit te sponsus tuus Christus. Ita, omnipotens, ne irruas super me, quia nunquam capi posses in me; certe non est in toto me, quod posset tolerare te. Miserere, ne desperem, sed desperando respirem. Et si ego commisi, unde damnare me potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Tu, Domine, non vis mortem peccatorum, imo ut mortui viverent, tu mortuus es et mors tua peccatorum mortem occidit, et ipsi te moriente vixerunt. Obsecro te, Domine, ut ego te vivente non moriar. Mitte manum tuam de alto, et libera me de manu inimicorum meorum, ne supergaudeant mihi et dicant: devorabimus eum.

Quis unquam, bone Jesu, de tua misericordia diffidat, qui, cum inimici tui essemus, redemisti nos in

sanguine tuo et reconciliasti nos Deo! Ecce sub misericordiae tuae umbra protectus ad thronum gloriae veniam postulans, curro clamans et postulans, donec miserearis mihi. Si enim ad veniam nos vocasti, veniam non quaerentes, quanto magis veniam impetrabimus postulantes.

Ne memineris, dulcissime Jesu, tuae justitiae adversus peccatorem tuum, sed esto memor benignitatis tuae adversus creaturam tuam; ne memineris irae adversus reum, sed memor esto miserationis tuae adversus miserum; obliviscere superbum provocantem et respice miserum invocantem. Quid enim est Jesus, nisi salvator? Ergo, Jesu, per temetipsum exsurge in adjutorium mihi, et dic animae meae: salus tua ego sum. Multum, Domine, de tua bonitate praesumo, quoniam tu ipse doces petere, quaerere et pulsare. Aperi, Domine, pulsanti, confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita me mortuum, et trahe me ad te, ut tuus sim imitatione, et dilectione, sicut tuus sum conditione et creatione.

Cap. XXV.

Jesu vulnera refugium nostrum.

Deus amore venit ad homines, venit in homines, factus est homo. Amore Deus invisibilis servis suis factus est similis; amore vulneratus est propter delicta nostra. Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus salvatoris. Securus illic habito; patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex vulneribus Domini mei, quoniam misericordiae affluunt, nec desunt foramina, per quae affluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera Jesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et caritate. Foderunt manus ejus et pedes ejus, et latus ejus lancea perforaverunt. Per has rimas mihi licet gustare, quam suavis est

Dominus Deus noster, quoniam revera suavis et mitis et multae misericordiae est omnibus eum invocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, et maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Jesu Christi salvatoris nostri; magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiae et perfectio virtutum.

Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi; cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera Domini mei, et recedit a me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi; in illis dormio securus et requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis; nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum et refugium meum, salus, vita

et resurrectio mea. Meritum meum miseratio Domini.

Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit; et si misericordiae Domini multae, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior.

Peccavi peccatum grande, et multorum mihi sum conscius delictorum. Nec sic despero, quoniam, ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia. Qui de peccatorum suorum venia desperat, negat, Deum esse misericordem. Magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit; quantum in se est, negat, Deum habere caritatem, veritatem et potestatem, in quibus tota spes mea consistit; scilicet in caritate adoptionis, in veritate promissionis et in potestate redemptionis. Murmuret jam, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: quis enim es tu, et quanta est gloria illa, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: scio, cui credidi; qua caritate nimia adoptavit me in filium, quia

verax est in promissione, potens in exhibitione, et licet ei facere, quod vult. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt.

Clavi et lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Haec lancea aperuit mihi latus Christi, et ego intravi et ibi requiesco securus. Qui timet, amet, quoniam caritas foras mittit timorem.

Nullum tam potens est et tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce et expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum.

Inter brachia salvatoris mei et vivere volo et mori cupio, ibi securus decantabo: exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Salvator noster caput inclinavit in morte, ut oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

Cap. XXVI.

Jesu sanguis nostra redemptio.

Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea, infinitas negligentias meas, nisi verbum tuum, Deus, caro fieret, et habitaret in nobis; sed desperare jam non audio, quia, cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii tui, quanto magis reconciliati salvi facti sumus per eum.

Omnis namque spes et totius fiduciae certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos et propter salutem nostram.

Tu es Deus meus vivus et verus, Dominus meus pius, rex meus magnus, pastor meus bonus, magister meus unus, adjutor meus optimus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus vivus, sacerdos meus in aeternum, dux meus ad patriam, lux mea vera, dulcedo mea sancta, via mea recta, sapientia mea praeclara, patientia mea robustissima, victima mea immaculata, redemptio mea

sancta, spes mea firma, resurrectio mea vera et visio mea beatissima et sine fine mansura. Te deprecor, supplico et rogo, ut per te ambulem, ad te perveniam, in te requiescam, qui es via, veritas et vita, sine qua nemo venit ad patrem.

O splendor gloriae paternae, qui sedes super Cherubim et intueris abyssos, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem desiderant angeli prospicere; ecce cor meum coram te est; discute tenebras ejus, ut amoris tui claritate plenius perfundatur. Da mihi, Deus meus, te, redde mihi te. En amo te, et, si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam, quantum desit mihi amoris tui ad id, quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tamen scio: quia male mihi est praeter te, Domine, non solum extra me, sed in me ipso. Omnis enim copia, quae Deus meus non est, egestas mihi est; bonum namque, quod neque in melius, neque in deterius commutari potest, tu solus es, qui simpliciter solus es, cui non est aliud

vivere et aliud beate vivere, quia tua beatitudo tu es; creatura vero tua, cui est aliud vivere et aliud beate vivere, omne quod vivit et beate vivit, non debet nisi gratiae tuae attribuere. Et ideo nos egemus tui, non tu nostri, quia si omnino non essemus, nihil tibi deesset ad bonum, quod tu es. Tibi itaque Domino Deo nostro semper adhaerere necesse habemus, ut per continuum auxilium tuum sancte, pie et recte vivere valeamus. Pondere siquidem fragilitatis nostrae deorsum trahimur, dono autem tuo accendimur et sursum ferimur, inardescimus et imus, ascendimus, ascensiones in corde facimus, et cantamus canticum graduum; igne tuo bono inardescimus, et imus.

Quonam? Sursum imus ad pacem Hierusalem, quoniam jucundatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Illic nos collocavit voluntas bona, ut nihil velimus aliud, quam permanere illic in aeternum. Sed quia dum sumus in corpore, peregrinamur a te, Domine, non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inqui-

rimus; noster autem municipatus in coelis est. Ideo duce gratia tua ingredior in cubile cordis mei, et canto tibi amatoria, rex meus et Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus in loco peregrinationis meae, ubi cantabiles mihi factae sunt justificationes tuae.

Cap. XXVII.

Jesu amor causa amoris nostri.

O anima mea, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum angelis, dilige illum, a quo tantum dilecta es; intende illi, qui intendit tibi; quaere quaerentem te; ama amatorem tui, a quo amaris. cujus amore praeventa es, qui est causa amoris tui. Ipse est meritum, ipse praemium, ipse fructus, ipse usus, ipse finis. Esto sollicita cum sollicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. Qualis apparueris Deo, talis oportet, ut appareat tibi Deus; Deus suavis et mitis et multae

misericordiae, mites, dulces, humiles et misericordes requirit.

Ama illum, qui eduxit te de lacu miseriae et de luto faecis; elige illum amicum tuum prae omnibus amicis tuis, qui, cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturae tuae, cum omnes amici tui recedent a te, ille te non derelinquet, sed tuebitur a rugientibus praeparatis ad escam, et conducet te per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernae Sion, et ibi collocabit te cum angelis ante faciem majestatis suae, ubi audies illud angelicum melos: sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus noster.

Jesus, nostra redemptio, amor et desiderium, adesto mihi famulo tuo. Amem interim te, quoad valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi possum amare sicut te decet et me oportet. Scis, occultorum cognitor, Deus, quoniam coelo, terra et omnibus, quae in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te super coelum et terram et caetera omnia, quae in eis sunt, immo amore nominis tui, quae

transitoria sunt, procul dubio amanda non sunt.

Amo te, Deus meus, amore magno, magisque te amare cupio. Da mihi, ut amem te semper, quantum volo et quantum debeo, ut tu solus sis intentio mea et omnis meditatio mea. Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem, in nocte te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine sanctae visionis tuae illustretur cor meum, ut, te rectore, te duce, ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion facie ad faciem.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; beati, qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te. Rogo itaque te, Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte aeterna liberati sumus, mollifica cor meum durum et lapideum, saxeum et ferreum tua sacratissima et potenti unctione, et fac me coram te omni hora hostiam vivam fieri. Fac me in tuo conspectu cor contritum et humiliatum semper habere cum lacrimarum abun-

dantia. Fac me ex toto desiderio huic mundo funditus exstingui, et transeuntium rerum oblivisci prae magnitudine timoris et amoris tui, usque adeo, ut de temporalibus nec lugeam nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale nec diligam, nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar. Et quia tui valida est ut mors dilectio, absorbeat, quaeso, mentem meam ab omnibus, quae sub coelo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui, ut tibi soli inhaeream solaque tuae suavitatis memoria pascar.

Descendat, Domine, descendat, precor, in cor meum odor tui suavissimus, ingrediatur amor tui mellifluus. Veniat mihi tui saporis mira et inenarrabilis flagrantia, quae sempiternas in me suscitet concupiscentias, et ex corde meo producat venas salientis aquae in vitam aeternam. Immensus es, Domine, et ideo sine mensura debes amari et laudari ab iis, quos tuo pretioso sanguine redemisti. Dulcis Christe, bone Jesu, reple semper, quaeso, cor meum inextinguibili dilectione tui, adeo, ut, sicut flamma urens totus ardeam in tui amoris

dulcedine, quem et aquae multae in me nunquam possint extinguere.

Fac me, dulcissime Domine, amare te, et desiderio tui deponere pondus omnium carnalium desideriorum et terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quae impugnant et aggravant miseram animam meam, ut post te expedite in odore unguentorum tuorum currens, usque ad tuae pulchritudinis visionem efficaciter satiandus, quantocius, te quoque duce, merear pervenire.

Audi, Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi, quae peto, et da, quae petam, ut audias me. Pie et misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui. Da mihi effectum petitionis meae et desiderii mei, intercedente et orante et impetrante gloriosa Virgine genitrice tua Maria, domina mea, cum omnibus sanctis tuis. Amen.

Cap. XXVIII.

Spiritus sanctus Deus mundator animarum et sanctificator.

Quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei sic hominem praeveniens; tam, inquam, vehemens amor, quod homo propter hominem dignatus est fieri?

Quis potest odisse hominem, cujus naturam et similitudinem videt in humanitate Dei! Revera, qui odit illum, odit Deum et ita perdit, quidquid facit. Deus namque propter hominem factus est homo, ut esset redemptor, qui est et creator, ut de suo redimeretur homo. Et ut familiarius diligeretur ab homine, Deus in similitudine hominis apparuit, et ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus divinitate et oculus corporis in ejus humanitate.

Salvator namque noster natus est nobis, crucifixus et mortuus est pro nobis, ut morte sua mortem nostram destrueret.

Et quia botrus carnis portatus fuerat ad torcular crucis, et expressione facta fluere coeperat mustum divinitatis, missus est spiritus sanctus, quo vasa cordium praepararentur et vinum novum in utres novos poneretur; primum, ut corda mundarentur, ne infusum pollueretur, et postea ligarentur, ne infusum amitteretur. Mundarentur a gaudio iniquitatis, ligarentur contra gaudium vanitatis. Non enim, quod bonum est, venire potuit, nisi prius recederet, quod malum est. Gaudium iniquitatis polluit, et gaudium vanitatis facit rimosum.

Gaudium iniquitatis est, cum peccatum diligitur, et gaudium vanitatis est, cum transitoria amantur. Ejice ergo, quod malum est, ut, quod bonum est, percipere possis; effunde amaritudinem, ut dulcedine impleri possis.

Spiritus sanctus gaudium est et amor. Ejice spiritum diaboli et spiritum mundi hujus, ut accipias spiritum Dei. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, et spiritus mundi gaudium vanitatis. En haec gaudia mala sunt, quoniam alterum habet culpam, alterum

occasionem culpae. Veniet autem spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali, et intrabit tabernaculum cordis et operabitur gaudium bonum et amorem bonum, quo expellitur amor mundi et amor peccati. Amor mundi allicit et decipit; amor peccati polluit et ad mortem adducit; amor Dei mentem illuminat, conscientiam mundat, animam laetificat et Deum demonstrat.

Cap. XXIX.

Invocatio spiritus sancti.

O divini amor numinis, patris omnipotentis prolisque beatissimae sancta communicatio, omnipotens paraclete spiritus, moerentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quaeque laris neglecti latibula corusci luminis fulgore habitator laetifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marcentia squalore visitando foecunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris

flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando intimae mentis et corporis depasce universa. Pota me torrente voluptatis tuae, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatae dulcedinis. Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo, quod, quemcumque inhabitaveris, patris et filii pariter domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitem, quoniam per te pater et filius apud eum facient mansionem.

Veni jam, veni benignissime dolentis animae consolator, protegens in opportunitatibus et in tribulatione adjutor; veni mundator scelerum, curator vulnerum; veni fortitudo fragilium, relevator labentium; veni humilium doctor, superborum destructor; veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis judex; veni spes pauperum, refocillator deficientium; veni navigantium sidus, naufragii portus; veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni, sanctissime spiritus,

veni et miserere mei. Apta me tibi, et condescende propitius mihi, ut mea tuae magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Jesum Christum, salvatorem meum, qui cum patre in tua unitate vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Cap. XXX.

Sacrosancta trinitas laudatur et glorificatur.

Te Deum patrem ingenitum, te filium unigenitum, te spiritum sanctum paracletum, sanctam et individuam trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus; tibi laus, honor et gloria in saecula saeculorum.

O summa trinitas, virtus una et indiscreta majestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego ultimus servorum tuorum et exiguum membrum ecclesiae tuae, confiteor tibi et honorifico te debito sacrificio laudis pro scire et posse, quod mihi tantillo donare

dignatus es. Et quia exteriora mihi munera desunt, quae possim offerre, ea, quae in me sunt, vota laudationis ex dono misericordiae tuae, ecce, libens et orans offero tibi, de fide non ficta et conscientia pura.

Credo igitur ex toto corde, rex coeli et terrae, Domine, et oro te; confiteor patrem et filium et spiritum sanctum, in personis trinum, et in substantia unum verum Deum omnipotentem, unius simplicis, incorporeae, invisibilis et incircumscriptae naturae; in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inaestimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum, erga poenitentes piissimum, semper idipsum aeternum ac sempiternum, immortalem atque incommutabilem, quem nec spatia dilatant, nec voluntas variat; cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit. Te perennis laus et aeterna gloria, summa potestas et singularis

honor decet per infinita et indefessa saecula saeculorum.

Cap. XXXI.

Sanctorum in coelis caritas invocatur.

Felices sancti Dei omnes, qui jam transiistis hujus mortalitatis pelagus et pervenire meruistis ad portum perpetuae quietis, securitatis, pacis, securi et tranquilli semperque festivi atque gaudentes estis, obsecro vos per vestram caritatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis. Securi estis de vestra immarcessibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis. Estote jugiter memores nostri, subvenite nobis miseris, qui adhuc in salo hujus vitae circumstantibus agitamur procellis.

Vos portae pulcherrimae, quae in magnam surrexistis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum longe inferius jacentes; date manum et erigite jacentes super pedes, ut convalescentes de infirmitate fortes efficiamur in bello; intercedite et orate constanter atque indesinenter pro nobis miseris multumque negligentibus peccatoribus, ut per vestras orationes vestro sancto consortio conjungamus. Sumus namque valde fragiles et nullius virtutis homunciones, animalia ventris et carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et tamen in Christo confessione positi ligno crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum et spatiosum, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus; ubi sunt animalia, pusilla cum magnis; ubi est draco saevissimus, semper paratus ad devorandum; ubi sunt loca periculosa, scylla et charybdis, et alia innumerabilia, in quibus naufragantur incanti et in fide dubii.

Orate Dominum, orate piissimi, orate omnia agmina sanctorum et universi coetus beatorum, ut vestris pre-

cibus meritisque adjuti, salva nave et integris mercibus pervenire mereamur ad portum perpetuae salutis et quietis et continuae pacis et nunquam finiendae securitatis. Amen.

Cap. XXXII.

Felices illi, quibus Deus sola est spes et omne eorum opus oratio.

Domine Jesu, Jesu pie, Jesu bone, da, quaeso, toto desiderio et omni studio tendere, quo te ascendisse post resurrectionem die quadragesimo credimus, ut in praesenti quidem miseria solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione semper et aviditate, ut ibi sit cor meum, ubi tu es, thesaurus meus desiderabilis et incomparabilis.

In hoc enim magno hujus vitae diluvio, ubi circumstantibus agitamur procellis, et non invenitur fida statio et locus eminentior, ubi pes columbae valeat aliquatenus requiescere; nusquam tuta pax, nusquam secura quies; ubi-

que bella et lites, ubique hostes; foris pugnae, intus timores.

Et quia altera pars sumus coeli, altera terrae, corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; idcirco animus meus, socius et amicus meus fatigatus de via veniens languet et jacet, discissus atque laceratus ab iis, quas pertransierat, vanitatibus; esurit et sitit valde, et non habeo, quod ponam ante illum, quia pauper sum et mendicus. Tu, Domine, Deus meus, dives omnium bonorum et dapum supernae satietatis opulentissime largitor, da lasso cibum, collige dispersum, reintegra scissum. En stat ad ostium et pulsat: obsecro per viscera misericordiae tuae, quibus visitasti nos oriens ex alto, aperi pulsanti misero manum pietatis tuae et jube propitiabili dignatione, ut ingrediatur ad te, requiescat in te, reficiatur de te vivo coelestique pane, quo satiatus resumptisque viribus ad superiora conscendat, et de hac valle lacrimarum, penna sancti desiderii raptus, ad coelestia regna volitet.

Requiescat in te, Deus, cor meum,

cor mare magnum, tumens fluctibus. Tu, qui imperasti ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, veni et gradere super fluctus cordis mei, ut tranquilla et serena fiant omnia mea, quatenus unum bonum meum amplectar te, et dulce lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum caeca caligine. Dormiat, obsecro, Domine Deus, dormiat memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat, justitiam diligat. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quam inter tenebras hujus vitae multasque amaritudines divinae dulcedini inhiare et aeternae beatitudini suspirare, illic teneri mente, ubi vera habere gaudia, certissimum est.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. Beati, vere beati, quos elegisti et assumpsisti in illam coelestem haereditatem: ecce sancti tui, Domine, florent ante te, sicut lilium; replentur enim ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potas eos, quoniam tu es fons vitae, et in lumine tuo vident

lumen, usque adeo, ut ipsi videlicet lumen illuminatum per te Deum illuminantem sicut sol effulgeant in conspectu. O quam mira, quam pulchra, quam acceptabilia sunt domus tuae habitacula, Domine virtutum! Concupiscit intrare in ea haec peccatrix anima mea.

Unam rem petii a te, Domine, et hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Nihil mihi tam dulce, quam cum Domino meo esse. Mihi autem adhaerere Deo bonum est. Da mihi, Domine, donec his fragilibus adsisto membris, tibi adhaerere, sicut scriptum est.

Praebe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus ad te volitem sursum, et quia omne sinistrum deorsum jacet, tene mentem meam, ne ad ima tenebrosae vallis corruat, ne interveniente umbra terrae a te vero justitiae sole separetur, et adducta tenebrarum nebula prohibeatur alta respicere. Tene

cor meum manu tua, quia sine te ad altiora non rapitur. Illuc festino, ubi summa pax regnat et jugis tranquillitas rutilat. Tene et rege spiritum meum, et assume illum secundum voluntatem tuam, ut, te duce, ascendat in illam regionem ubertatis, ubi pascis Israel in aeternum pabulo veritatis.

Sed volitanti ad te animae multa sunt, quae obstrepunt. Jussu tuo, Domine, conticescant mihi omnia. Ipsa sibi anima mea sileat, omnia pertranseat, omnia, quae creata sunt, transcendat a se et perveniat ad te, atque in te solo creatore omnium oculos fidei figat; tibi inhiet, tibi intendat, tibi meditetur, te contempletur verum et summum bonum et gaudium sine fine mansurum. Multae denique sunt contemplationes, quibus anima devota tibi mirabiliter pascitur, sed in nulla earum ita delectatur et requiescit anima mea sicut in te, et quando te solum cogitat et contemplatur. Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine! quam mirabiliter inspiras cordibus amatorum

tuorum! quam mira suavitas amoris tui, quo perfruuntur illi, qui nihil praeter te diligunt, nihil quaerunt, nihil etiam cogitare concupiscunt! Felices illi, quibus tu solus spes es et omne opus eorum oratio; beatus, qui sedet solitarius et tacet, et stat super custodiam suam jugiter die ac nocte, ut, adhuc in hoc fragili corpore positus, praelibare valeat aliquatenus dulcedinem tuam.

Percute, Domine, percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuae, et altius ad intima penetra potenti virtute, ut lugeam die ac nocte, nullam recipiens in praesenti vita consolationem, donec te in coelesti thalamo merear videre dilectum et pulcherrimum sponsum meum, Deum et Dominum meum, ut ibi videns gloriosam, admirabilem et pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cum diligentibus te exclamem, dicens: ecce, quod concupivi, jam video, quod speravi, jam teneo, quod desideravi, jam habeo.

Illi namque in coelis junctus sum,

quem in terris positus tota virtute dilexi, tota caritate amplexus sum, cui toto amore inhaesi; ipsum laudo, benedico et adoro, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

PARS ALTERA.

DEUS TRINUS ET UNUS

ORANDO

CELEBRATUR.

PRAEPARATUR
ANIMA AD ORANDUM.

Cor humanum in desiderio aeternitatis non fixum, nunquam stabile potest esse, sed omni volubilitate volubilius de alio ad aliud transit, quaerens requiem, ubi non est. In his autem caducis et transitoriis, in quibus ejus affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet, quoniam tantae est dignitatis, ut nullum bonum praeter summum bonum ei sufficere possit.

Revera haec est vera cordis re-

quies, cum totum in amorem summi boni per desiderium et orationem figitur. In quo enim amor summi boni, Dei nostri, est, deridet hujus saeculi gloriam, et semper cogitat, quando ad Deum perveniat, quando mundum derelinquat, quando carnis corruptionem evadat, ut veram pacem inveniat. Semper habet cor suum et desiderium et orationem in superna elevatum; quando sedet, quando ambulat, quando requiescit vel quando aliquid agit, cor a Deo non recedit.

Si vero aliqua vana cogitatione vel rerum occupatione inde aliquantulum abstractum fuerit, summa cum festinatione illuc redire festinat, exilium reputans alibi quam ibi moram facere.

Idcirco non levi crimine tenetur

astrictus, quisquis in oratione cum Deo loquitur, et subito substrahitur ab ejus conspectu, quasi ab oculis non videntis nec audientis. Hoc autem fit, quando cogitationes suas malas et importunas sequitur, et aliquam vilissimam creaturam, ad quam mentis intuitus facile distrahitur, ei praefert; illam videlicet in cogitatione saepius revolvendo vel cogitando quam Deum, quem assidue debet recolere creatorem, adorare redemptorem, exspectare salvatorem, timere judicem.

Fuge ergo, o homo, paululum occupationes tuas, et absconde te modicum a tumultuosis cogitationibus tuis; abjice nunc onerosas curas; vaca aliquantulum Deo, et paululum requiesce in eo. Intra in cubiculum mentis tuae; exclude

omnia praeter Deum, et quae valent ad quaerendum eum, et clauso ostio quaerere eum.

Dicat nunc totum cor tuum Deo: Quaero vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiro.

SECTIO PRIMA.

PRECES DIURNAE.

PRECES MATUTINAE.

Jam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia,
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo patri sit gloria,
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Domine, Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quaerere, quaerendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da, Domine, Deus meus, cordi meo poenitentiam, spiritui contritionem, oculis lacrimarum fontem, manibus eleemosynae largitatem. Rex meus, extingue in me desideria carnis et accende ignem tui amoris. Redemptor mei, expelle a me spiritum superbiae et concede propitius thesaurum humilitatis tuae. Salvator mei, amove a me furorem irae et indulge mihi benignus scutum patientiae. Creator mei, evelle a me animi rancorem et largire mihi mitis mentis dulcedinem. Da, cle-

mentissime pater, mihi solidam fidem, spem congruam, caritatem continuam. Rector mei, averte a me vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera detractionum, curiositatis pruriginem, divitiarum cupidinem, inanis gloriae appetitum, hypocrisis malum, adulationis venenum, contemptum inopum, oppressionem debilium, avaritiae ardorem, invidiae rubiginem, blasphemiae mortem.

Reseca in me, factor mei, temeritatem, iniquitatem, pertinaciam, inquietudinem, otiositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis caecitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilii repugnationem, linguae effrenationem, innocentum calumniam, subditorum negligentiam, circa domesticos severitatem, adversus familiares impietatem, erga proximos duritiam.

Deus meus, misericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi misericordiae opera, pietatis studia:

compati afflictis, consulere erroneis, succurrere miseris, subvenire egenis, consolari moestos, relevare oppressos; pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despicere, sed honorare; bonos imitare, malos cavere, virtutes amplecti, vitia rejicere; in adversis patientiam, custodiam oris et ostium circumstantiae labiis meis; terrena calcare, coelestia sitire, ubi tu, Deus meus, vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Misericordissime, tibi me hodie commendo, reddo et concedo; per quem vivo et sapio, in te confido, spero et totam spem meam pono, per quem resurgam, vivam et requiescam. Te cupio, diligo, adoro, cum quo manebo, regnabo et beatus ero. Anima, quae te non quaerit, peccatis servit et vitiis subjecta est; nunquam quieta, nunquam secura est.

Famuletur tibi semper mens mea, pissime; suspiret tibi semper peregrinatio mea; ardeat in amore tui cor meum.

Requiescat in te, Domine, anima mea; contempletur te in mentis excessu; cantet laudas tuas in jubilatione, et haec sit in hoc exilio consolatio mea. Confugit mens mea sub umbra alarum tuarum ab aedibus cogitationum saeculi hujus; repauset in te cor meum, cor magnum mare tumens fluctibus.

Pater noster. Ave Maria. Credo etc.

Actus virtutum.

Actus fidei.

Firma fide credo te Deum esse, unum in essentia, trinum in personis; credo filium Deum Jesum Christum incarnatum, passum pro nobis et mortuum; credo te remuneratorem bonorum et vindicem malorum; credo et profiteor, quae symbola apostolorum continentur, et omnia ac singula, quae sancta ecclesia romano-catholica mihi credenda praeponit, quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti.

In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo ac statuo.

Actus spei.

Misericordissime Deus, spero per passionem et merita Jesu Christi hic tuam gratiam et remissionem peccatorum; posthac vitam aeternam in beatifica tui possessione, quia tu, Deus meus, omnipotens es, et infinite bonus erga nos, ac fidelis in promissis.

Dominus firmamentum meum et refugium meum, liberator meus, adjutor meus; sperabo in eum, non confundar in aeternum.

Actus caritatis.

Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde; amo te propter te et proximum meum propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita, et ideo dignus, ut ameris ab omnibus. Ament te omnes homines! Laudent te omnes creaturae! Utinam ego te, Deus, plus amarem! Vere me poenitet, quod

unquam te offenderim; jam statuo servare omnia mandata tua.

Actus contritionis.

Domine Deus, doleo ex integro corde de peccatis commissis, quia per ea te, summum bonum super omnia dilectum, offendi; et detestor ea, quia tibi displicent: propono firmiter non peccare de caetero; et ex hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccatorum; potius vitam et omnia amittere, quam peccatum admittere. Statuo etiam peccata mea quamprimum confiteri, et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores et onera.

Actus relationis operum in Deum.

Domine, Deus omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, sine quo nihil possumus, quaecumque hodie cogitabo, loquar, agam, aut patiar, omnia refero ad gloriam tuam et Domini nostri Jesu Christi.

Domine, Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Dominum nostrum etc.

Ad meditationem.

Ante meditationem.

Audi, Domine, Deus meus, audi lumen oculorum meorum; audi, quae peto, et da, ut, quod peto, exaudias. Si despicis, pereo; si respicis, vivo; si justitiam meam requiris, mortuus foeteo; si cum misericordia respexeris, foetentem resuscitas de sepulcro. Quod odis in me, longe fac a me, et castitatis ac continentiae spiritum insere in me, ut quodcumque petiero, in ipsa petitione te non offendam. Tolle a me, quod nocet, et praebe, quod juvet. Praesta mihi, Domine, medicinam, unde mea

possunt curari vulnera. Da mihi, Domine, timorem tui, cordis compunctionem, mentis humilitatem et conscientiam puram.

Parce animae meae, parce malis meis, parce criminibus meis. Miserere mei, Domine, miserere mei et respice me de sede sancta majestatis tuae, et tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina, a quo et per quem mihi fiat propitiatio in tempore necessitatis et angustiae meae.

Post meditationem.

O lux, a qua omnis lux, lumen, a quo omne lumen, lux quae illuminas omnia tota simul semel et semper, absorbe me in claritatis abyssum, ut te videam undique te in te, et me in te, et cuncta sub te. Ne derelinquas me, ne accrescant umbrae ignorantiae meae et multiplicentur delicta mea. Sine te enim omnia mihi sunt tenebrae, omnia mala, quia nihil bonum sine te vero, solo et summo bono.

Hoc confiteor, hoc scio, Domine

Deus meus, quia ubicumque sum sine te, male mihi est praeter te, non solum extra me sed etiam in me.

Heu miseria super miseriam, cum misera anima mea a te refugit, cum quo semper abundat et gaudet, et sequitur mundum, cum quo eget et dolet.

In manibus tuis descripsisti me, ut semper sit memoria mea apud te, si tamen memoria tua jugiter fuerit apud me. O quantum sumus debitores tibi, Domine Deus noster! O quantum a nobis miseris es timendus, amandus, benedicendus, honorandus et glorificandus, qui nos salvasti et sanctificasti et sublimasti. De tuis beneficiis, quae meditando jamjam recolo, dulce esset semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, ut possim te semper pro omnibus bonis tuis laudare et amare ex toto corde meo et tota anima mea et tota mente mea, simul ex omnibus medullis et intimis cordis mei et omnium compagum mearum.

Quando enim erravi, in viam reduxisti me, quando peccavi, corripuisti me, quando ignoravi, docuisti me, quando tristis fui, consolatus es me, quando de-

speravi, confortasti me, quando cecidi, erexisti me, quando steti, tenuisti me, quando veni, suscepisti me, quando ivi, deduxisti me, quando clamavi, exaudisti me.

Beata dulcedo, Domine Deus meus, omnium, qui delectantur in te.

Ad studium.

Ante studium.

Deus, scientiarum Domine, sapientiae dux et sapientium emendator, qui doces hominem scientias, et linguas infantium facis disertas, mitte sapientiam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te. Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illa abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Da igitur mihi intellectum, ut mihi attendens et doctrinae devitem profanas vocum novitates et appositiones falsi nominis scientiae.

Da mihi scientiam sanctorum, scire

etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, ut prae omnibus cognoscam te Deum verum et quem misisti, Jesum Christum, salutem unicam, gaudium et finem. Amen.

Post studium.

Ne sinas me, Domine, inflari scientia, quae destruetur, sed da caritatem aedificantem, quae nunquam excidit, ut non evanescam in cogitationibus meis, nec judicem, me scire aliquid inter homines, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Amen.

Litaniae de spiritu sancto.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus,
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta trinitas unas Deus,
Spiritus a patre filioque procedens,
Spiritus Domini, Deus Israel,
} miserere nobis.

Spiritus replens orbem terrarum,
Spiritus ornans coelos, stabilis et securus,
Spiritus veritatis omnia suggerens et distribuens,
Spiritus sapientiae et intellectus,
Spiritus consilii, fortitudinis, scientiae et pietatis,
Spiritus timoris Domini et prudentiae,
Spiritus, quo inspirante locuti sunt sancti Dei homines,
Quae ventura sunt annuntians,
Donum et promissio patris,
Spiritus sancte paraclite arguens mundum,
Spiritus in quo daemonia ejiciuntur,
Spiritus ex quo renascimur,
Spiritus per quem caritas Dei diffusa est in cordibus nostris,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus gratiae et misericordiae,
Spiritus adjuvans infirmitatem nostram, et reddens testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei,
Spiritus suavis, benigne, super mel dulcis,

} miserere nobis.

Spiritus pignus haereditatis nostrae, deducens nos in terram rectam,
Spiritus principalis, vivificans et confortans,
Spiritus salutis, judicii et gaudii,
Spiritus fidei, pacis et ardoris,
Spiritus humilitatis, caritatis et castitatis,
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac mansuetudinis,
Spiritus lenitatis, veritatis, unitatis ac consolationis,
Spiritus compunctionis, promissionis, renovationis ac sanctificationis,
Spiritus vitae, patientiae, continentiae ac modestiae,
Spiritus omnium gratiarum,

} miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis, sancte spiritus.
Propitius esto, exaudi nos, sancte spiritus.
A spiritu erroris, libera nos, spiritus Dei vivi.
A spiritu immundo, libera nos, spiritus Dei vivi.

A spiritu blasphemiae,
Ab omni obstinatione et desperatione,
Ab omni praesumptione et veritatis contradictione,
Ab omni malitia et prava consuetudine,
Ab invidia fraternae caritatis,
A finali impoenitentia,
Per aeternam a patre et filio processionem tuam,
Per invisibilem unctionem tuam,
Per omnem gratiarum plenitudinem, qua virginem Mariam semper possedisti,
Per supereffluentae sanctitatis abyssum, qua in conceptione verbi matrem Dei inundare fecisti,
Per sanctam in baptismo Christi apparitionem tuam,
Per salutarem super apostolos adventum tuum,
Per ineffabilem bonitatem tuam, qua ecclesiam gubernas, concilias, praesides, martyres corroboras, doctores illuminas, religiosos instituis,

} libera nos, spiritus Dei vivi.

Peccatores,
Ut in spiritu ambulemus, et desideria carnis non adimpleamus,
Ut omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione et vero spiritu conservare digneris,
Ut virtutum omnium complementum nobis donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,

} te rogamus, audi nos.

Spiritus Dei, libera nos,
Agnus Dei etc. Effunde in nos s. spiritum.
Agnus Dei etc. Emitte in nos promissum patris spiritum.
Agnus Dei etc. Da nobis spiritum bonum.
Cor mundum crea in me Deus,
Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
Ne projicias me a facie tua,
Et spiritum sanctum ne auferas a me.
Redde mihi laetitiam salutaris tui,
Et spiritu principali confirma me.
Spiritus sancti gratia
Illuminet sensus et corda nostra.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem s. spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus ecclesiae sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum nostrum.

Veni creator spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris paraclitus,
Altissimi donum Dei,

Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum patris.
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da patrem,
Noscamus atque filium,
Teque utriusque spiritum
Credamus omni tempore.

Deo patri sit gloria,
Et filio, qui a mortuis
Surrexit, ac paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

PRECES VESPERTINAE.

Jam sol recessit igneus;
Tu lux perennis unitas,
Nostris, beata trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamus vespere,
Digneris, ut te supplices
Laudemus inter coelites.

Patri simulque filio
Tibique sancte spiritus,
Sicut fuit, sic jugiter,
Saeclum per omne gloria. Amen.

Invocat te, Domine, fides mea, quam dedisti mihi propter bonitatem tuam ad salvationem mei. Fidelis enim anima ex fide vivit; tenet in spe, quod videbit in re. Invocat te, Deus, suavis amor fidei meae, quam excussis ignorantiae tenebris ad veritatis intelligentiam perduxisti, et quam a stulta saeculi amaritudine eruisti atque adhibita tuae dulcedinis caritate jucundam mihi

et mellifluam reddidisti. Invocat te, beata trinitas, vox clara et sincerus amor fidei meae, quam ab ipsis enutriens cunabulis illuminasti semper per illustrationem gratiae tuae, et quam adaugens confirmasti in me per documenta matris ecclesiae. Te invoco, beata et benedicta et gloriosa una trinitas, pater et filius et spiritus sanctus, Deus Dominus, paracletus, caritas, gratia, communicatio.

Deus, vera et summa vita, a quo, per quem et in quo vivunt omnia, quaecumque vere et beate vivunt; Deus, cujus nos fides excitat, spes erigit, caritas jungit; Deus, qui peti te jubes et inveniri facis et pulsanti aperis; Deus, a quo averti cadere est, ad quem converti surgere est, in quo manere consistere est; Deus, quem nemo amittit, nisi deceptus, nemo quaerit, nisi admonitus, nemo invenit, nisi purgatus; Deus, quem nosse vivere est, cui servire regnare est, quem laudare salus et gaudium animae est, te labiis et corde omnique, qua valeo, virtute laudo, benedico atque adoro, tuaeque clementiae

et bonitati pro universis beneficiis tuis gratias refero.

Te invoco, o beata trinitas, ut venias in me et templum me facias gratiae tuae. Rogo patrem per filium, rogo filium per patrem, rogo spiritum sanctum per patrem et filium, ut omnia vitia elongentur a me et omnes sanctae virtutes plantentur in me. Deus immense, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt, visibilia et invisibilia, qui opera tua extra circumdas et intra reples, supra regis et infra fers, custodi me, opus manuum tuarum, in te sperantem et in tua solummodo misericordia confidentem. Custodi me, quaeso, hic et ubique, nunc et semper, intus et foris, ante et retro, supra et infra, ita ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum. Tu es Deus omnipotens, custos et protector in te sperantium, sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus; concede mihi te custodiente et regente vivere et finire vitam meam, ac praesta mihi in finem, ut me excipiat somnus cum re-

quie, requies cum securitate, securitas in aeternitate. Amen.

Litaniae vespere dicendae.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta trinitas, unus Deus, miserere nobis.

Libera nos, Domine!

Propitius esto, parce nobis, Domine!
Propitius esto, exaudi nos, Domine!
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab imminentibus periculis,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,

A superbia vitae,
Ab omni immunditia cordis et corporis,
Ab ira, odio et omni mala voluntate,
Ab omni obstinatione et impoenitentia,
Ab erroribus universis,
A morte perpetua,
Per abundantiam bonitatis tuae,
Per ineffabilem magnitudinem caritatis et misericordiae tuae,
Per incarnationem Christi, filii tui,
Per crucem et passionem ejus,
Per sanctam resurrectionem et admirabilem ascensionem ejus,
Per adventum spiritus sancti paracleti,
Per omnes sanctos et electos tuos,
Per fideles servos tuos, stantes in conspectu tuo,
Per dilectos et amicos tuos, tecum in coelo regnantes,
Per pretiosam in conspectu tuo mortem sanctorum tuorum,
Per merita et intercessionem omnium electorum tuorum,
In die judicii;

Libera nos, Domine!

Peccatores, te rogamus, audi nos!
Agnus Dei etc.

Oremus.

Dignare, Domine Jesu Christe cum patre et spiritu sancto, dare nobis tuam benedictionem uberemque gratiam, ut tibi in somno et vigilia, in vita et morte, puro corde et casto corpore perfecti semper placeamus. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum; et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

In nomine patris † et filii et spiritus sancti. Amen.

In pace in idipsum dormiam et requiescam; quoniam tu, Deus, singulariter in spe constituisti me.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: praevalui adversus eum.

Nos cum prole pia
benedic virgo Maria.

SECTIO SECUNDA.

PRECES PRO SACRIFICIO MISSAE.

PRECES SUB MISSA.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini.
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Jesu Domine!
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat istud, quod jam sitio,

Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae.

Ad introitum.

Invoco te, Deus meus, invoco te, quia prope es omnibus invocantibus te in veritate. Tu enim veritas es; doce me, quaeso, per clementiam tuam, sancta veritas, doce me, invocare te in veritate, quia hoc fieri, quomodo oporteat, nescio, sed a te doceri, beata veritas, humiliter imploro. Desidero invocare te, quod, quaeso, fiat in veritate. Quid est in veritate invocare veritatem, nisi in filio patrem? Ergo, sancte pater, sermo tuus veritas est principiumque verborum tuorum veritas; hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat verbum.

Quid est enim dulcius, quam genitorem in nomine unigeniti invocare? patrem in recordatione filii ad pietatem inflectere? regem carissimae sobolis denominatione mitigare? Sic enim solent rei carceribus eripi; sic commancipati vinculis liberari: sic tristem accipientes

sententiam capitis non solum absolvi, sed insuper nancisci insolitam gratiam, dummodo iratis principibus dilectae prolis intimaverint caritatem; sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum.

Sic te, omnipotens pater, per omnipotentis filii caritatem postulo: educ de carcere ad confitendum nomini tuo animam meam. Libera me a vinculis peccatorum, per coaeternum flagito unicum tibi natum, meque, cui propria merita lethalem minantur sententiam, pretiosissimae ad dexteram tuam sedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam.

Quem enim alium dirigam intercessorem tibi, nescio, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tuam interpellans pro nobis. Ecce advocatus meus apud te patrem meum; ecce pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, quia proprio refulget perfusus cruore; ecce hostia sancta, bene placens et perfecta, in odorem suavitatis oblata et accepta.

Ad gloriam et usque ad offertorium.

In Jesu, salvatore meo, respiro et in ipso confisus ad te pervenire desidero, non habens meam justitiam, sed eam, quae est ex filio tuo, Domino nostro, Jesu Christo.

Unde gratias agimus tibi, clementissime et benignissime amator hominum, Deus, qui per Jesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, cum non essemus, potenter fecisti nos, et cum perditi fuissemus culpa nostra, mirabiliter liberasti et recuperasti nos. Gratias ago pietati tuae et multas tibi laudes refero ex totis praecordiis meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, qua nos miseros et indignos mirabili bonitate amare dignatus es, misisti eundem unigenitum tuum de sinu tuo ad publicum proficuum nostrum, salvare nos peccatores, tunc filios perditionis. Gratias ago tibi pro sancta incarnatione et nativitate ejus, et gloriosa genitrice, de qua ipse carnem assumere dignatus est propter nos et propter nostram salutem, ut

sicut Deus verus de Deo, ita verus homo ex homine esset. Gratias tibi ago pro passione et cruce, pro morte et resurrectione ejus, pro ascensione ejus in coelum et sede majestatis ejus ad dexteram tuam. Ipse enim quadragesimo die post resurrectionem suam ascendens, videntibus discipulis, super omnes coelos sedensque ad dexteram tuam spiritum sanctum secundum promissionem suam in filios adoptionis effudit. Gratias tibi ago pro sacratissima illa effusione pretiosi sanguinis ejus, quo sumus redempti, simul et pro sacrosancto et vivifico mysterio corporis et sanguinis ejus, quo quotidie in ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, et unius summae divinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro tua mira et inenarrabili caritate, qua nos indignos sic amasti et salvasti per unicum et dilectum filium tuum. Sic enim dilexisti mundum, ut unigenitum tuum dares, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscamus te verum Deum, et quem

misisti, Jesum Christum, per fidem rectam et condigna fidei opera.

Ad offertorium.

O immensa pietas, o inaestimabilis caritas, ut liberes servum, filium tradisti. Deus factus est homo, ut perditus homo de potestate daemonum erueretur. Quam benignissimus amator hominum filius tuus, Deus noster, cujus piis visceribus non satis visum est, ut se inclinaret factus homo de virgine Maria, nisi etiam subiret crucis supplicium effuso sanguine propter nos et propter nostram salutem! Venit pius Deus, venit pro pietate et bonitate sua, venit quaerere et salvum facere, quod perierat. Quaesivit ovem perditam, quaesivit et invenit et humeris suis reportavit ad caulas gregis pius Dominus et vere multum pius pastor.

O caritas, o pietas, quis audivit talia? quis super tanta misericordiae viscera non obstupescat? quis non miretur? quis non collaetetur propter nimiam caritatem tuam, qua nos dilexisti?

Misisti filium in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum, et nos efficeremur justitia tua in ipso. Ipse enim est verus agnus immaculatus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit.

Sed quid retribuere possumus, Deus noster, pro tantis beneficiis misericordiae tuae? quas laudes quasve gratiarum actiones? Etiamsi illa beatorum angelorum scientia et potentia nobis foret, nihil tamen dignum tantae pietati et bonitati tuae recompensare valeremus. Si certe omnia membra nostra vertentur in linguas ad rependendum tibi debitas laudes, nequaquam sufficeret exiguitas nostra. Supereminet enim omnem scientiam tua inaestimabilis caritas, quam ostendisti nobis indignis pro sola bonitate et pietate tua. Filius namque tuus, Deus noster, non angelos, sed semen Abrahae apprehendit, assimilatus nobis per omnia absque peccato. Humanam itaque, non angelicam suscipiens naturam, et eam stola sanctae resurrectionis et immortalitatis glorificans, vexit super

8**

coelos, super Cherubim et Seraphim, collocans ad dexteram tuam.

Hanc autem laudant angeli et omnes virtutes coelorum, cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth; pleni sunt coeli et terra gloria tua; benedictus, qui venit in nomine Domini; hosanna in excelsis.

Ad canonem.

Pulcherrime Jesu, rogo te per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem et lacrimarum fontem, praecipue dum preces meas tibi offero pro me et omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis aut pro quibus orare debeo, dum mysterium nostrae redemptionis, manifestum misericordiae tuae judicium, recolo vel profero; dum sacris altaribus assisto, cupiens tibi offerre illud mirabile et coeleste sacrificium, omni reverentia et devotione dignum, quod tu, Domine,

Deus meus, sacerdos immaculate, instituisti et offerre praecepisti in commemorationem tuae caritatis, mortis scilicet et passionis, pro salute nostra, pro quotidiana nostrae fragilitatis reparatione.

Confirmetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine praesentiae tuae; sentiat te sibi adesse et laetetur coram te, ignis, qui semper luces, amor, qui semper ardes, dulcis Christe, bone Jesu.

Ad elevationem s. hostiae.

Ave verum corpus, natum
De Maria virgine;
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine,
Cujus latus perforatum
Fluxit unda et sanguine.
Esto nobis praegustatum
Mortis in examine.
O dulcis, o pie,
O Jesu, fili Mariae,
Miserere mei.

Ad elevationem s. calicis.

Ave sanguis Jesu Christi,
In hoc sacro calice,
Qui in cruce profluxisti
Ex aperto latere;
Et ab omni abluisti
Totum mundum crimine.
Ablue, sanctifica
Et custodi animam
In vitam aeternam.

Post elevationem.

Gratias itaque ago labiis et corde et omni, qua valeo, virtute, infinitae misericordiae tuae, pro omnibus miserationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, per eundem filium salvatorem et recuperatorem nostrum, qui mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, et nunc vivens sine fine sedet ad dexteram tuam et interpellat pro nobis et simul tecum miseretur, quia Deus est ex patre, coaeternus et consub-

stantialis tibi per omnia, unde potest in perpetuum nos salvare; sed secundum id, quod homo est, ex qua parte minor te est, data est ei omnis potestas in coelo et in terra, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est tua, Deus pater omnipotens.

Ipse quidem constitutus est a te judex vivorum et mortuorum; tu vero non judicas quemquam, sed omne judicium tuum dedisti filio tuo, in cujus pectore reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae. Ipse autem testis et judex est, judex et testis, quem nulla peccatrix conscientia effugere poterit. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus. Ipse sane, qui injuste judicatus est, judicabit orbem terrae in aequitate et populos in justitia.

Pie Jesu, Domine, esto nobis judex pius; esto judex pius et omnibus, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Pro his divina institutione formati audemus dicere: Pater nost. etc.

Ad communionem.

Dulcissime, benignissime, amantissime, pulcherrime Jesu, trahe me sursum ad te, ut curram post te in odorem unguentorum tuorum, curram et non deficiam, te trahente. Trahe os sitientis te animae in superna fluenta aeternae satietatis; imo trahe me ad te fontem vivum, ut inde pro captu meo bibam, unde semper vivam, Deus meus, vita mea.

Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: si quis sitit, veniat ad me et bibat. Fons vitae, da sitienti animae meae semper bibere ex te, ut secundum sanctam et veridicam promissionem tuam de ventre meo fluant aquae vivae. Fons vitae, reple mentem meam torrente voluptatis tuae; inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui, ut obliviscar, quae vana sunt et terrena, et te solum jugiter habeam in memoria mea.

Postcommunio.

Jam rogo te, clementissime pater, Deus, per hanc inaestimabilem pietatem,

bonitatem et caritatem tuam, ut dignos nos facias multis et magnis promissionibus ejusdem filii tui, Domini nostri, Jesu Christi. Manda virtuti tuae et confirma hoc, quod operatus es in nobis; perfice, quod coepisti, ut ad plenam tuae pietatis gratiam mereamur pervenire. Fac nos per spiritum sanctum intelligere et mereri, et debito semper honore venerari hoc magnum pietatis mysterium, quod manifestum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Amen.

Litaniae de vita et passione Domini nostri Jesu Christi.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta trinitas unus Deus,
Jesu cunctis gentibus desiderate,
Jesu in mundum a patre misse,
Jesu de spiritu sancto concepte,
Jesu verbum caro factum,
Jesu formam servi accipiens,
Jesu in utero matris Joannem visitans et exhilarans,
Jesu de Maria virgine nate,
Jesu pannis involute,
Jesu in praesepio reclinate,
Jesu ubere virgineo lactate,
Jesu pastoribus in praesepio manifestate,
Jesu circumcisionis legem sponte suscipiens,
Jesu a magis adorate,
Jesu in templo praesentate,
Jesu ulnis justi Simeonis excepte,
Jesu in Aegyptum deportate,
Jesu ab Herode ad necem quaesite,
Jesu in Nazareth nutrite,
Jesu in templo inter doctores invente,
Jesu parentibus subdite,
Jesu a Joanne baptizate,
Jesu in deserto tentate,
Jesu cum hominibus conversate,

miserere nobis.

Jesu omnibus languentibus misericorditer opitulate,
Jesu in monte coram patribus transfigurate,
Jesu prae compassione super Jerusalem lacrimate,
Jesu rex mitis Jerusalem ingresse,
Jesu zelo domus Dei vendentes et ementes ejiciens,
Jesu triginta argenteis vendite,
Jesu ad lavandos discipulorum pedes inclinate,
Jesu pascha cum discipulis manducans,
Jesu corpus tuum nobis in cibum et sanguinem in potum largite,
Jesu in oratione prostrate,
Jesu in agonia sanguineo sudore perfuse,
Jesu ab angelo confortate,
Jesu osculo a Juda tradite,
Jesu a ministris crudeliter ligate,
Jesu a discipulis derelicte,
Jesu Annae et Caiphae praesentate,
Jesu alapa a ministro percusse,
Jesu a falsis testibus accusate,
Jesu reus mortis judicate,

} miserere nobis.

Jesu in faciem conspute,
Jesu oculis velate,
Jesu colaphis caese,
Jesu gratis odio habite,
Jesu qui corpus percutientibus et genas velentibus dedisti,
Jesu a Petro ter negate,
Jesu vinctus Pilato tradite,
Jesu ab Herode sprete et illuse,
Jesu veste alba indute,
Jesu Barabbae postposite,
Jesu flagellis immaniter caese,
Jesu propter scelera nostra attrite,
Jesu quasi leprosus reputate
Jesu veste purpurea indute,
Jesu spinis coronate,
Jesu arundine pro sceptro donate,
Jesu a judaeis ad crucem postulate,
Jesu morte iniquissima condemnate,
Jesu voluntati judaeorum tradite,
Jesu crucis pondere gravate,
Jesu tanquam ovis ad occisionem ducte,
Jesu myrrhato vino et felle potate,
Jesu nudus in cruce confixe,
Jesu cum iniquis reputate,
Jcsu inter duos latrones crucifixe,

} miserere nobis.

Jesu regio titulo in cruce per Pilatum insignite,
Jesu pro inimicis patrem deprecate,
Jesu opprobrium hominum facte,
Jesu a praetereuntibus blasphemate,
Jesu a judaeis derise,
Jesu a militibus in cruce illuse,
Jesu a latrone conviciis lacessite,
Jesu latroni poenitenti paradisum pollicite,
Jesu qui Joannem matri tuae in filium commendasti,
Jesu te a patre derelictum attestate,
Jesu sitiens aceto potate,
Jesu qui omnia de te scripta in cruce consummasti,
Jesu qui spiritum tuum in manus patris jam moriturus commendasti,
Jesu a patre pro tua reverentia semper exaudite,
Jesu usque ad mortem crucis obediens facte,
Jesu lancea transfixe,
Jesu de cujus latere exivit sanguis et aqua,
Jesu qui peccata nostra super lignum in corpore tuo pertulisti,

} miserere nobis.

Jesu cujus livore sanati sumus,
Jesu propitiatio nobis facte,
Jesu de cruce deposite,
Jesu in sindone munda involute,
Jesu in monumento novo tumulate,
Jesu qui post mortem ad inferos descendisti,
Jesu qui mortuus es propter delicta nostra, et resurrexisti propter justificationem nostram,
Jesu in coelum elevate,
Jesu in patris dextera collocate,
Jesu gloria et honore coronate,
Jesu rex regum, et Domine dominantium,
Jesu qui parasti nobis locum in domo patris tui,
Jesu noster apud patrem advocate,
Jesu spiritum paracletum discipulis elargite,
Jesu vivos et mortuos judicature,
Jesu reprobos in ignem aeternum missure,
Jesu paratum electis regnum collature,
Propitius esto, parce nobis Jesu.

} miserere nobis.

Ab omni malo, libera nos Jesu.

A subitanea et improvisa mala morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, odio et omni mala voluntate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per circumcisionem tuam,
Per impositionem sanctissimi nominis tui,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per labores et vigilias tuas,
Per agoniam et sanguineum sudorem tuum,
Per alapas et flagella tua,
Per spineam coronam tuam,
Per crucem et passionem tuam,
Per sitim, lacrimas et nuditatem tuam,
Per sacratissima quinque vulnera tua,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per missionem spiritus sancti paracleti,

} libera nos, Jesu.

In die judicii, libera nos, Jesu.
Peccatores,
Ut peccatis mortui justitiae vivamus,
Ut gloriari nobis non libeat, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,
Ut amore tui mundus nobis crucifixus sit, et nos mundo,
Ut crucis mortificationem jugiter in corpore nostro circumferamus,
Ut carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigere studeamus,
Ut te passo in carne et nos eadem cogitatione armemur,
Ut crucem nostram quotidie tollere, et te sequi valeamus,
Ut quae nobis lucra sunt, propter te detrimenta arbitremur,
Ut te Jesum crucifixum scire ante omnia studeamus,
Ut sanguis tuus emundet nos ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi,
Ut empti pretio magno glorificemus Deum in corpore nostro,
Ut mortui peccato, et consepulti deinceps tecum in novitate vitae ambulemus,

Jesu, te rogamus, audi nos.

Ut semel emundati ab operibus mortuis, rursum te filium Dei crucifigere caveamus, Jesu, te rogamus, audi nos.
Ut relictum a te nobis exemplum intuentes, sequamur vestigia tua, Jesu, te rogamus, audi nos.
Ut sicut socii passionum sumus, ita simus et consolationis, Jesu, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, etc.

V. Adoramus te, Christe et benedicimus tibi.

R. Quia per sanctam crucem redemisti mundum.

V. Reminiscere miserationum tuarum, Domine.

R. Et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

V. Vide humilitatem meam et laborem meum.

R. Et dimitte universa delicta mea,

V. Domine exaud. R. Et clamor etc.

Oremus. Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui etc.

ALIAE PRO SACRIFICIO MISSAE PRECES.

Praeparatio ad missam.

(Pro opportunitate sacerdotis facienda.)

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris. (Temp. pasch. additur Alleluja.)

(Quae antiphona festis duplicibus tantum duplicatur. Deinde dicuntur sequentes psalmi.)

Psalmus 83. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: rex meus et Deus meus!

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster, aspice, Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 84. Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 85. Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascunque fecisti,

venient et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu tuo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: patiens et multae misericordiae et verax.

Respice in me, et miserere mei: da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 115. Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 129. De profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria patri etc. Sicut erat etc.

Ant. repet. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris. (Alleluja.)

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster etc.

V. Et ne nos iuducas in tentationem,

R. Sed libera nos a malo.

V. Ego dixi: Domine, miserere mei;

R. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

V. Convertere, Domine, aliquantulum,

R. Et deprecare super servos tuos.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Sacerdotes tui induantur justitiam,

R. Et sancti tui exultent.

V. Ab occultis meis munda me, Domine,

R. Et ab alienis parce servo tuo.

V. Domine, exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti spiritus illumina cor nostrum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, paracletus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Jesus Christus, filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Gregorius XIII. pontifex maximus concessit cuilibet dicenti ante missam, quae sequuntur, quinquaginta annorum indulgentiam.

Ego volo celebrare missam et conficere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctae romanae ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque curiae militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae romanae ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Ad aspersionem aquae benedictae.

Ant. Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor.

Psal. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

V. Gloria patri etc.

Repetitur Ant. Asperges etc.

Dicitur in dominicis per totum annum, excepta die dom. de passione et dom. palmarum, in quibus non dicitur „gloria" etc. sed post psalm. repetitur Ant. Asperges etc.

Tempore paschali, scilicet a dom. paschae usque ad dom. pentecostes incl. cantatur:

Ant. Vidi aquam egredientem de templo a latere dextero, alleluja; et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt et dicent: alleluja, alleluja.

Psal. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. — Gloria etc.

Repetitur Ant. Vidi.

V. Ostende nobis Domine misericordiam tuam (temp. pasch.) Alleluja.

R. Et salutare tuum da nobis. (Alleluja.)

V. Domine exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum; R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Exaudi nos, Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum etc.

R. Amen.

Preces missae, prout a sacerdote recitantur.

(Cum proprio ex missa votiva de ss. trinitate.)

Sacerdos. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Antiph. Introibo ad altare Dei.

Minister. R. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Psalmus 42. S. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria patri et filio et spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

Antiph. rep. Introibo ad altare Dei.

R. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam. *)

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

---

*) In missis defunctorum et in missis de tempore a dominica passionis usque ad sabbatum sanctum exclusive omittitur psalmus: „Judica" cum „Gloria Patri" et repetitione antiphonae.

R. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem archan-

gelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos, et te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

M. Amen.

V. Deus tu conversus vivificabis nos,

R. Et plebs tua laetabitur in te.

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

R. Et salutare tuum da nobis.

V. Domine, exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Ascendens ad altare. Oremus. Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Osculans altare. Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Introitus.

Benedicta sit sancta trinitas atque indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Psalm. Domine dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Gloria patri. Sicut erat.

Benedicta sit sancta trinitas atque indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. Kyrie eleyson. M. Kyrie eleyson. S. Kyrie eleyson. M. Christe eleyson. S. Christe eleyson. M. Christe eleyson. S. Kyrie eleyson. M. Kyrie eleyson. S. Kyrie eleyson.

Hymnus angelicus. *)

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Lau-

*) Omittitur in missis defunct.

damus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus pater omnipotens. Domine fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, agnus Dei, filius patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto spiritu in gloria Dei patris. Amen.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Collecta.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem; quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui

tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Epistola.

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres! gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

R. Deo gratias.

Graduale. Benedictus es Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim.

V. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli, et laudabilis in saecula. Alleluja, alleluja.

R. Benedictus es Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja.

Post septuagesimam omisso allelu-

ja et versu sequenti dicitur tractus. Te Deum patrem ingenitum, te filium unigenitum, te spiritum sanctum paracletum, sanctam et individuam trinitatem, toto corde confitemur, laudamus atque benedicimus.

V. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia; tu es Deus solus.

V. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in saecula sempiterna, o beata trinitas

Tempore paschali omittur graduale et ejus loco dicitur: Alleluja, alleluja.

V. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja.

V. Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu. Alleluja.

Ante evangelium in medio altaris. Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito; ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Jube Domine benedicere.

Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem evangelium suum. Amen.

Evangelium.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sequentia sancti evangelii secundum Joannem.

R. Gloria tibi Domine.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt patrem, neque me. Sed haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

R. Laus tibi Christe.

S. *Osculans evangelium:* Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Symbolum.

Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, sesundum scripturas. Et ascendit in coelum; sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex patre filioque procedit; qui cum patre et filio simul adoratur

et conglorificatur; qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Offertorium.

Oremus. Benedictus sit Deus pater, unigenitusque Dei filius, sanctus quoque spiritus; quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Ad oblationem hostiae. Suscipe sancte pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Benedicens aquam. Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti, da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad oblationem calicis. Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Inclinatus super altare. In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine; et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Benedicens oblata: Veni sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Ad benedictionem incensi in missa

solemni: Per intercessionem beati Michaelis archangeli, stantis a dexteris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad incensationem oblatorum: Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Ad incensationem altaris: Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.

Reddendo thuribulum: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae caritatis. Amen.

Ad lotionem manuum:

Psalmus 25. Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria patri et filio: et spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum. Amen. *)

---

*) In missis pro defunctis, et tempore passionis in missis de tempore, omittitur „Gloria patri etc.“

In medio altaris sese inclinans: Suscipe, sancta trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Versus ad populum: Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum patrem omnipotentem.

R. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad lautem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque ecclesiae suae sanctae.

S. Amen.

Secreta.

Santifica, quaesumus, Domine Deus noster, per tui sancti nominis invoca-

tionem hujus oblationis hostiam, et per eam nosmetipsos tibi perfice munus aeternum. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus:

Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum;
R. Amen.
Dominus vobiscum;
R. Et cum spiritu tuo.
Sursum corda;
R. Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro;
R. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, qui cum unigenito filio tuo et spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personae, sed in unius trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de filio tuo, hoc de spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus, ut in confessione

verae sempiternaeque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas, quam laudant angeli atque archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non cessant clamare quotidie, una voce dicentes:

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Canon missae.

Te igitur, clementissime pater, per Jesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata, imprimis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro N., et antistite nostro N., et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis. Memento,

Domine, famulorum famularumque tuarum N. N., et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra actionem. Communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosae semper virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Domiani, et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Manus tenens super oblata. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed

et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicens oblata. Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi filii tui, Domini nostri Jesu Christi.

(*Ad elevationem adora et ora:*

Tu rex gloriae Christe!

Tu patris sempiternus es filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria patris. — Judex crederis esse venturus.

Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.)

Post elevationem.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi filii tui, Domini nostri, tam beatae passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis, offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae. — Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae majestatis tuae, ut, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti

et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis. Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. — Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi

Deo patri omnipotenti in unitate spiritus sancti omnis honor et gloria:

Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere:

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem,

R. Sed libera nos a malo.

Amen.

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea, et omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Do-

minum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus:

Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Particulam hostiae in calicem immittens: Haec commixtio et consecratio corporis et sanguinis Domini Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. *)

Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata

---

*) In missis defunctorum non dicitur „miserere nobis“, sed ejus loco: „dona eis requiem“ et in tertio: „dona eis requiem sempiternam.“

mea, sed fidem ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen. *)

(Pax tecum. R. Et cum spiritu tuo.)

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui ex voluntate patris, cooperante spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas, qui cum eodem Deo patre et spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate

*) In missis defunctorum haec oratio omittitur.

spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Communio.

Benedicimus Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Postcommunio.

Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, hujus sacramenti susceptio, et sempiterna sanctae trinitatis ejusdemque individuae unitatis confessio. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Ite, missa est. (Vel: Benedicamus Domino.)

R. Deo gratias. *)

Placeat tibi, sancta trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicens populum: Benedicat vos omnipotens Deus, pater et filius et spiritus sanctus.

R. Amen.

Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti evangelii secundum Joannem.

R. Gloria tibi Domine.

In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.

---

*) In missis defunctorum: »requiescant in pace. R. Amen.«

Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis.

R. Deo gratias.

Gratiarum actio post missam.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. (Alleluja.)

(Quae antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur).

Canticum.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltare eum in saecula.

Benedicite angeli domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino; benedicite omnes virtutes domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes domini Domino: benedicite servi domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Psalmus 150. Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in choris et organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria patri etc. Sicut erat etc.

Ant. Trium puerorum cantemus hy-

mnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster etc. (secreto).

V. Et ne nos inducas in tentationem;
R. Sed libera nos a malo.
V. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua;
R. Et sancti tui benedicant tibi.
V. Exultabunt sancti in gloria;
R. Laetabuntur in cubilibus suis.
V. Non nobis, Domine, non nobis;
R. Sed nomini tuo da gloriam.
V. Domine, exaudi orationem meam;
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum;
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

SECTIO TERTIA.

EXERCITIA DEVOTIONIS
PRO
CONFESSIONE ET COMMUNIONE.

EXERCITIUM DEVOTIONIS PRO CONFESSIONE.

Deus conversioni tuae indulgentiam promisit, sed dilationi tuae diem crastinam non promisit. (Aug. in ps. **144.**)

Ante confessionem.

Deus, lux mea, lux invisibilis, cui omnis abyssus cordis humani est visibilis, ecce, tenebrae sunt super faciem abyssi mentis meae; ecce caligo tene-

brosa super aquas cordis mei. O verbum, per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil; verbum, quod dixisti in principio: fiat lux, et facta est lux; dic etiam mihi: fiat lux, ut videam lumen et cognoscam, quidquid non est lumen, quia sine te mihi tenebrae lumen et lumen tenebrae ponuntur. Et sic sine tua luce non est veritas, adest error, adest vanitas; non est discretio, adest confusio; adest ignorantia, non est scientia; adest caecitas, non est visio; adest invium, non est via; adest mors, non est vita.

Ecce, Domine, quia lux non est, mors est; immo non est mors, quia nihil est mors, nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et juste quidem hoc, Domine, nam digna factis recipimus. Vae mihi misero toties obcaecato, quia tu lux et ego sine te; vae mihi misero toties vulnerato, quia tu salus et ego sine te; vae mihi misero toties infatuato, quia tu veritas et ego sine te; vae mihi misero toties aberrato, quia tu via et ego sine te; vae mihi misero toties

mortuo, quia tu vita et ego sine te. O Domine, qui es lux, dic verbum, Domine: fiat lux, ut videam lucem et vitem tenebras; videam viam et vitem invium; videam veritatem et vitem vanitatem; videam vitam et vitem mortem.

Confitear ergo, confitear tibi pater, Domine coeli et terrae, miseriam meam, ut me venire liceat ad misericordiam tuam. Miser quippe factus sum et nescivi, quia tu es veritas et ego non eram tecum. Vulneraverunt me iniquitates meae et non dolui, quia tu es vita et ego non eram tecum; ad nihilum duxerunt me, quia tu es verbum et ego non eram tecum, per quem omnia facta sunt et sine quo factum est nihil.

Heu, Domine, vita mea, qui fecisti me, lux mea, quia direxisti me; defensor vitae, miserere mei et resuscita me, Domine, Deus meus, spes mea, virtus mea, fortitudo mea, consolatio mea; in die tribulationis meae respice inimicos meos et eripe me. Ipsi enim, Domine, consideraverunt me, et videntes me sine te, despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta virtutum, quibus ornaveras me;

fecerunt sibi viam per me; sub pedibus suis conculcaverunt me; foecibus peccatorum polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt me desolatum et moerore confectum. Ibam post eos caecus et nudus et illaqueatus funibus peccatorum. Trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium et de luto in lutum, et ibam absque fortitudine ante faciem subsequentis. Servus eram et servitutem amabam; caecus eram et caecitatem desiderabam; vinctus eram et vincula non horrebam; amarum dulce et dulce amarum credebam. Miser eram et non cognoscebam, et hoc, quia sine verbo eram, sine quo factum est nihil; per quod omnia conservantur, sine quo omnia annihilantur.

Ignosce, Domine, ignosce pie, ignosce et miserere; parce et ignorantiae meae et multae imperfectioni meae. Noli me tamquam temerarium reprobare, quod audeam servus, utinam vel bonus et non etiam inutilis et malus, et ideo valde malus, quia te omnipotentem Deum nostrum terribilem et nimis metuendum, sine cordis contritione et lacrimarum

fonte, sine reverentia debita et tremore laudo, benedico et adoro.

Miserum me, quomodo sic insensata est anima mea, ut non terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum! Miserum me, quomodo sic induruit cor meum, ut oculi mei indesinenter non producant flumina lacrimarum, dum conservus sermocinatur coram Domino suo, homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus est ex limo cum eo, qui omnia fecit ex nihilo! Ecce, Domine, pone me ante te, et quid in secretis meis sentio, fraternis auribus vicarii tui non taceo; tu enim dives in misericordia et largus in praemiis.

Christe, Domine, verbum patris, qui venisti in hunc mundum, peccatores salvos facere, rogo te per indulgentissima misericordiae tuae viscera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores, tolle de me, quod mihi nocet et tibi displicet, et da, quod nosti tibi placere et mihi prodesse. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens infinitate pietatis, qui justificas impios

et vivificas mortuos propter peccatum; qui mutas peccatores et non sunt. Tolle de me ergo, quidquid tibi displicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quaeso, manum pietatis tuae in me, et tolle de me, quidquid offendit oculos pietatis tuae in me. Coram te, Domine, est sanitas et infirmitas mea; illam, precor, serva, istam sana. Sana me, Domine, et salvabor; salvum me fac et salvus ero, tu, qui infirma sanas et sanata conservas.

Respice ergo et miserere mei, quia dolores cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam coelestem et noli spernere peccatricem animam, pro qua mortuus es. Da mihi, quaeso, lacrimas ex toto affectu internas, quae peccatorum meorum possint solvere vincula, et coelesti jucunditate semper repleant animam meam.

Post confessionem.

Nunc ergo video peccata mea, Domine, Deus meus, et cognosco per lumen tuum, et deficit anima mea in mise-

ricordia tua magna, quae est super me, quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori, et me ad vitam reduxisti; totus enim eram in morte, totus me resuscitasti. Tuum igitur sit totum id, quod vivo, et totus totum me tibi offero; totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres; totum me refecisti, ut totum me rehaberes. Diligam te igitur, Domine, virtus mea; diligam te, ineffabilis exsultatio mea, et vivam jam non mihi, sed tibi. Tota vita mea, quae perierat in miseria mea, resuscitata est in misericordia tua, qui es Deus misericors et miserator et multae misericordiae in millia his, qui diligunt nomen tuum. Idcirco, Domine Deus meus, sanctificator meus, jussisti in lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea et totis viribus meis et etiam intimis medullis cordis mei, omnibus horis et momentis, quibus fruor bonis misericordiae tuae, quoniam semper perirem, nisi quia semper regis me; semper

morerer, nisi quia semper me vivificas et omni momento tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia praestas. Sicut ergo nulla hora est vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea.

Velle quippe mihi adjacet, perficere autem non invenio. Velle, quod bonum est, non possum, nisi tu velis, nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet, et quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in coelo et in terra. In nobis igitur fiat voluntas tua, super quibus invocatum est nomen tuum, ne pereat hoc nobile plasma tuum, quod creasti propter honorem tuum. Et quis est homo natus de muliere, qui eripiat animam suam de manu inferni, nisi tu solus eripias, vita vitalis omnis vitae, per quem omnia vivunt!

Etenim jamjam tibi confessus sum, laus vitae meae, Domine Deus meus, virtus salutis meae: sperabam aliquando in virtute mea, quae tamen non est

virtus, et cum sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retro et non ante, et quod credebam consequi, magis elongarum est a me. Sic per multa similia vires meas probas. Cognosco nunc, quia illuminasti me, quoniam quod magis credidi posse per me, minus semper potui.

Nunc autem confitebor tibi, Domine, Deus meus, quia non fortitudine sua roborabitur vir, sed potius a te gressus hominis diriguntur, illorum inquam, qui non a se, sed a te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque per viscera misericordiae tuae, ut velis, Domine, salvare, quod creasti, quoniam, si vis, potes me salvare, et in tua voluntate virtus est nostrae salutis. Amen.

Litaniae poenitentis.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta trinitas, unus Deus,
Qui non vis mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat,
Qui diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti,
Qui venisti, quaerere et salvum facere, quod perierat,
Qui factus es propitiatio pro peccatis nostris,
Qui non venisti, vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam,
Qui dixisti: venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos,
Qui misereris omnium, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam,
Qui das locum et tempus poenitentiae in peccatis,
Qui benignitate tua nos ad poenitentiam perducis,
Qui peccatorum in jejunio, planctu et fletu se ad te convertentium misereris,
Qui post poenitentiam omnium pec-

} miserere nobis.

catorum nostrorum non recordaris amplius, miserere nobis.
Deus benignus, misericors, patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia, miserere nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine!
Propitius esto, exaudi nos, Domine!
Peccatores,
Ut nos ad veram poenitentiam perducere digneris,
Ut nos ipsos dijudicare et judicium tuum evadere possimus,
Ut dignos poenitentiae fructus tempestive faciamus,
Ut divitias bonitatis, patientiae et longanimitatis nunquam contemnamus,
Ut non diligamus mundum, neque ea, quae in mundo sunt,
Ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie, juste et pie vivamus,
Ut sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiae et iniquitati, sic ea nunc exhibeamus servire justitiae ad sanctificationem,
Ut adeuntes ad thronum gratiae cum

} te rogamus, audi nos!

fiducia misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno,
Ut cum metu et tremore salutem nostram operemur,
Ut peccato mortui justitiae vivamus,
Ut per multas tribulationes hujus saeculi nos in regnum Dei introire concedus,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei et salvator noster,

} te rogamus, audi nos!

Agnus Dei etc.

Oremus. Deus, qui non mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum, fragilitatem humanae conditionis benignissime respice, et conatus nostros pietate tua prosequere, ut per immensam misericordiam tuam peccatorum nostrorum veniam, in tuo servitio constantiam et tandem praemia perseverantibus promissa feliciter sonsequamar. Per etc.

Psalmi poenitentiales.

Antiphona. Ne reminiscaris.

Psalmus 6. Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria patri.

Psalmus 31. Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum

multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.

In camo et fraeno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria patri.

Psalmus 87. Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie

irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea; et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei: adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebur bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Gloria patri.

Psalmus 50. Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justi-

tiae, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria patri.

Psalmus 101. Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te; velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut foenum arui.

Tu autem Domine in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria patri.

Psalmus **129.** De profundis clamavi **ad** te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria patri.

Psalmus 142. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus, et in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: deficit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine; ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me, in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria patri.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per dom. etc.

Preces pro lucrandis indulgentiis.

Oratio praeparatoria.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordia peccatis omnibus aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius permaneam, cum his diluendis opera mea non suffliciant, ad inexhaustum meritorum unigeniti filii tui, Domini nostri Jesu Christi, sanctorumque thesaurum confugio, ut hujus abundantia tenuitati et indigentiae meae sub-

veniatur. Promptum me ad omnia, quae in hunc finem praestanda sunt, offero. Suscipe ea, o pater misericordiarum, in unione passionis et mortis ejusdem filii tui, plenariaeque hujus indulgentiae me, licet indignum, fac participem. Amen. Pater. Ave.

I. Oratio.

Ad Deum patrem, pro exaltatione s. matris ecclesiae. Memento, o pater aeterne, congregationis tuae, quam possedisti ab initio. Agnosce ecclesiam velut sponsam unigeniti filii tui, pro qua ipse sanguinem suum profundere non dubitavit. Hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus et haereditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali sponso tantoque redemptionis pretio. Respice benigne ejusdem s. matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te Deum patrem, et quem misisti, Jesum Christum, una cum s. spiritu, fide viva agnoscant, spe firma invocent, et caritate perfecta complectantur. Amen. Pater. Ave.

V. Vide, Domine, et visita vineam istam.

R. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus. Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat, in unitate spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

II. Oratio.

Ad Deum filium, pro exstirpatione haeresum. O Jesu, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, fac, oro, per inaestimabilem passionis et mortis tuae virtutem, ut pulsis haeresum et errorum tenebris, veritatis tuae lumen omnes amplectantur, et in optatum ecclesiae tuae gremium confluant. O pastor bone! qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege, et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt

in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi repaces. Fac ut unum omnes pastorem admittant, et unum omnium sit ovile. Mane nobiscum, Domine, quoniam dixisti: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Ostende ecclesiam tuam aedificatam esse super petram, et portas inferi non praevalere adversus eam. Amen. Pater. Ave.

V. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

R. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus. Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Dominum nostrum etc.

III. Oratio.

Ad s. spiritum, pro concordia christianorum principum. O s. spiritus, spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti, largire christianis principibus

eorumque consiliariis abundantiam tuae gratiae, novoque caritatis tuae munere praeveni eorum corda, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero electorum censendos et christiano nomine dignos esse. Fac, ne ulla unquam cupiditate abducti, quidquam moliantur, quod divinae tuae gloriae concordiaeque ecclesiae adversetur, sed unitis potius viribus ad pacis aeternae visionem, et coelestem Jerusalem populum sibi subjectum una secum perducere nitantur. Amen. Pater. Ave.

V. Fiat pax in virtute tua.

R. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum etc.

IV. Oratio.

Ad ss. trinitatem, qua peractorum operum ad indulgentias lucran-

das praescriptorum fit oblatio. Suscipe ergo, o ss. trinitas, preces et opera, quae ad plenariam debitarum poenarum indulgentiam impetrandam quomodocumque praestiti, et fac, ut horum defectus passione et morte Domini nostri Jesu Christi ejusdemque pro nobis pretiosissimo effuso sanguine suppleantur; atque ita me (vel animam. N.) plenariae hujus indulgentiae fac participem, pro quo beneficio tibi coelum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent, nunc et in perpetuum. Amen. Pater. Ave.

EXERCITIUM DEVOTIONIS PRO COMMUNIONE.

Ante communionem.

Vae miserae animae, quae Christum non quaerit nec amat, arida manet et misera. Perdit, quod vivit, qui te Deum non diligit. Qui curat vivere.non propter te, Domine, nihil est et pro ni-

hilo est. Qui tibi vivere recusat, mortuus est.

Deus, lumen cordium te videntium et vita animarum te amantium et virtus cogitationum te quaerentium, da, ut sancto tui amori inhaeream. Veni, rogo, in cor meum, et ab ubertate voluptatis tuae inebria illud, et obliviscar ista temporalia. Adjuva me, Domine, Deus meus, et da laetitiam in corde meo; veni ad me, ut videam te. Sed angusta mihi est domus animae meae, quousque venias ad eam et dilatetur a te; ruinosa est, refice eam; habet plurima, quae offendunt oculos tuos, fateor et scio, sed quis mundabit eam, aut cui alteri praeter te clamabo: ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo!

Fac me, dulcis Christe, bone Jesu, fac me, rogo, amore et desiderio tui deponere onus carnalium desideriorum et terrenarum concupiscentiarum. Dominetur carni anima, animae ratio, rationi gratia tua, et tuae me intus et exterius subde voluntati. Tribue mihi, ut laudet te cor meum et lingua mea et

omnia ossa mea. Dilata mentem meam et attolle intuitum cordis mei, ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te aeternam super omnia manentem sapientiam. Dissolve me, oro, a vinculis, quibus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista tibi serviam, tibi soli inhaeream, tibi soli intendam.

Jesu, nostra redemptio, amor et desiderium, ad te clamo clamore magno in toto corde meo; te invoco in animam meam; intra in eam et coapta eam tibi, ut possideas eam sine ruga et sine macula. Mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Sanctifica ergo vas tuum, quod fecisti; de malitia evacua, imple de gratia et plenum conserva, ita ut dignum habitationis tuae efficiar templum hic et in perpetuum.

Dulcis Christe, bone Jesu, panis vitae, qui nos reficis et in te non deficis, quotidie comederis et semper integer manes, resplende mihi, accende me, illumina et sanctifica vas tuum, ut ad salutem animae meae manducem cibum carnis tuae, quatenus manducando te

vivam de te, vivam per te, perveniam ad te, repausem in te.

O dulcedo amoris et amor dulcedinis, comedat te venter meus et nectare tui amoris repleantur viscera mea, et eructet mens mea verbum bonum.

Caritas, Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus et gaudium, fac me crescere in te, ut sano palato possis manducari a me. Tu es vita mea, qua vivo; spes, cui inhaereo; gloria, quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animam suspende et in superna fluenta os sitientis te spiritus trahe. Taceat, quaeso, tumultus carnis, conticescant phantasiae terrarum, taceant somnia et imaginariae revelationes, omnis lingua, omne signum et quidquid transeundo fit. Sileat sibi et ipsa anima, et transeat se, non cogitando se, sed te, Deus meus, quoniam tu es revera tota spes et fiducia mea. Est enim in te Deo et Domino nostro Jesu Christo dulcissimo et benignissimo atque clementissimo uniuscujusque nostrum et portio et sanguis et caro. Ubi ergo por-

tio mea regnat, ibi regnare me credo, ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me confido, ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco.

Quamvis peccator sim, de hac tamen communione gratiae non diffido. Atque hac gratiae communione animatus accedam ad te dulcissimum sumendum animo contrito et devoto, confitens:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Post communionem.

Domine Jesu, redemptio mea, misericordia mea, te laudo, tibi gratias ago, quamvis valde impares tuis beneficiis, quamvis multum expertes devotionis, quamvis macras a desiderata pinguetudine dulcissimi tui affectus, tamen qualescumque gratias, non quales scio me debere, sed sicut potest conari, tibi persolvit anima mea; compleat tua potentissima dignitas, quod conatur mea tepidissima imbecillitas.

Dulcissime, benignissime, amantis-

sime, tu mihi gemmis et auro pretiosior cunctisque terrarum divitiis et honoribus mihi carior! Quid dico, Deus meus, una spes mea, tam grandis misericordia tua? Dico, quod valeo, sed non dico, quod debeo. Utinam possem talia dicere, qualia illi hymnidici angelorum chori! O quam libenter me in tuis laudibus totum effunderem! O quam devotissime illa coelestis melodiae cantica in medio ecclesiae infatigabilis perorarem! Sed quia talia non possum, numquid tacebo? Vae tacentibus de te, qui ora mutuorum resolvis et linguas infantium facis disertas; vae tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, cum non tuas laudes dicunt. Quis digne te laudare potest, o ineffabilis virtus et sapientia patris! Et, quoniam nulla invenio verba, quibus te sufficienter valeam explicare cunctipotens et omniscium verbum, dicam interim, quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi possum dicere, quod te decet et me oportet.

Magnus enim tu es, Domine Deus meus, et immensus, nec est finis magni-

tudinis tuae, nec est numerus sapientiae tuae, nec est mensura benignitatis tuae, sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua, quoniam tu ipse es praemium et donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.

Tibi laus, tibi gloria, tibi honor, tibi gratiarum actio, qui sic nos amasti, sic vivificasti et sublimasti! Piissime Domine, quam dulcis est memoria tui! Quanto magis in te meditor, tanto es mihi dulcior et amabilior. Idcirco delectant me valde bona tua puro mentis intuitu et dulcissimo pii amoris affectu in loco peregrinationis meae juxta modulum meum. Interim, quamdiu his fragilibus subsisto membris, miram tui dilectionem et pulchritudinem indesinenter cupio desiderare et considerare. Tuae enim caritatis jaculo vulneratus sum, tui vehementer desiderio flagro. Polum penetrabo mente et desiderio tecum ero, ut in praesenti quidem miseria solo corpore tenear, tecum autem cogitatione et aviditate et omni desiderio sim semper, quatenus ibi sit cor meum, ubi tu es, thesaurus meus. Sed

heu, Deus meus piissime et misericordissime, dum tuae immensae bonitatis et pietatis gloriam desiderare volo, cor meum non sufficit.

Da, dulcissime Jesu, cordi meo fontem irriguum ex corde tuo. Licet enim me totum tibi obtulerim opitulante gratia tua, in multis tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meam. Da ergo mihi gratiam lacrimarum, benedicte et amabilis Deus, praecipue ex multa dulcedine amoris tui, et commemoratione misericordiarum tuarum praepara hanc mensam famulo tuo in conspectu tuo. Tribue pro bonitate et pietate tua, ut iste calix tuus inebrians et praeclarus satiet sitim meam, ut inhiet tibi spiritus meus et ardeat mens mea in amore tui, oblitus vanitatis et miseriae.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.

Litaniae de venerabili sacramento.

Kyrie cleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus,
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta trinitas unus Deus,
Panis vivus, qui de coelo descendisti,
Deus absconditus, et salvator.
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinguis, et deliciae regum,
Juge sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,

} miserere nobis.

Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima dominicae passionis commemoratio,
Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale praecipuum divini amoris,
Divinae affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum sacramentum,
Panis omnipotentia verbi caro factus,
Incruentum sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum caritatis,

} miserere nobis.

Offerens et oblatio, miserere nobis.
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata, miserere nobis.
Refectio animarum sanctarum, miserere nobis.
Viaticum in Domino morientium, miserere nobis.
Pignus futurae gloriae, miserere nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Ab indigna corporis et sanguinis tui susceptione,
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavisti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum sacramentum instituisti,
Per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera hujus tui cor-

} libera nos, Domine.

poris sacratissimi, quae pro nobis suscepisti, libera nos, Domine.

Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur, libera nos, Domine.

Peccatores,

Ut nobis fidem, reverentiam, et devotionem hujus admirabilis sacramenti augere et conservare digneris,

Ut ad frequentem usum eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,

Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis caecitate liberare digneris,

Ut sanctissimi hujus sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris,

Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris,

Fili Dei,

te rogamus, audi nos.

Agnus Dei etc.

V. Panem de coelo praestitisti nobis.

R. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus. Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam

reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi munda me,
Passio Christi conforta me;
O bone Jesu exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Et ne permittas me separari a te;
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum sanctis tuis laudem te,
In saecula saeculorum. Amen.

Affectus s. Thomae.

Adoro te devote latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.

Credo, quidquid dixit Dei filius;
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
Sed hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam praestans homini;
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Quando fiet istud, quod tam sitio,
Ut revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae.

Lauda Sion salvatorem,
Lauda ducem et pastorem
In hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur.

Quem in sacrae mensa coenae,
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.

Dies enim celebratur,
In qua sacrae memoratur
Coenae institutio.

In hac mensa novi regis,
Novum pascha novae legis
Phase vetus terminat.

Prisca subsunt novitati,
Umbrae cedunt veritati,
Noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Docti sacris institutis,
Panem, vinum, in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum, et non rebus,
Latent res eximiae.

Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inaequali,
Vitae vel interitus.

Mors est malis, vita bonis;
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus!

Fracto demum sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura.
Qua nec status nec statura
Signati minuitur.

Ecce panis angelorum,
Factus cibus viatorum,

Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.

In figuris praesignatur,
Cum Isaac immolatur,
Agnus paschae deputatur,
Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere!
Tu nos pasce, nos tuere!
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales;
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac sanctorum civium.
Amen. Alleluja.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit;
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestat fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

SECTIO QUARTA.

ORATIONES PIAE ET PETITIONES.

Hymnus ecclesiae, exorans s. spiritus munera. Veni sancte spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radium; veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium!

Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium; in labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium; sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum; riga, quod est aridum; sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum; fove, quod est frigidum; rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium; da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

Affectus animae Deum amantis s. Ignatii. O Deus, ego amo te, nam prior tu amasti me. En libertate privo me, ut sponte vinctus sequar te.

Nil suggerat memoria, nisi de tua gloria; nil intellectus sapiat, praeterquam, ut te capiat.

Protector nihil velle me, nisi quod sciam velle te; quae dono tuo mea sunt, haec dono meo tua sunt.

A te accepi, recipe, quid iis velis praecipe. Guberna sicut scis et vis, nam scio, quod amator sis.

Amore solo dona me, ut ego quoque amem te, et vigil et per somnia. Haec dando dabis omnia.

Or. s. Francisci Xaverii in Deum hominem pro nobis crucifixum. O Deus,

ego amo te; nec amo te, ut salves me, aut quia non amantes te, aeterno punis igne.

Tu, tu mi Jesu, totum me amplexus es in cruce; tulisti clavos, lanceam multamque ignominiam.

Innumeros dolores, sudores et angores ac mortem, et haec propter me ac pro me peccatore.

Cur igitur non amem te, o Jesu amantissime? Non ut in coelo salves me, aut ne aeternum damnes me, nec praemii ullius spe.

Sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te, solum quia rex meus es, et solum quia Deus es. Amen.

Alia oratio s. Francisci Xav.

O Jesu, mi dilecte,
Amabo te perfecte,
Cum me amoris telo
Transfixeris e coelo.
Transfige, ah, transfige me,
O Jesu dilectissime!

Or. Clementis XI. praecipuos actus religionis continens. Credo, Domine, sed credam firmius; spero, Domine, sed

sperem securius; amo, Domine, sed amem ardentius; doleo, Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te, ut primum principium; desidero te, ut finem ultimum, laudo te, ut benefactorem perpetuum; invoco te, ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint ad te, dicenda, ut sint de te, facienda, ut sint secundum te, ferenda, ut sint propter te.

Volo, quidquid vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro, Domine, ut intellectum meum illumines; voluntatem inflammes; corpus emendes; animam sanctifices.

A superbia non inficiar; adulatione non afficiar; a mundo non decipiar; a satana non circumveniar. Gratiam praesta memoriam pungendi, linguam frenandi, oculos cohibendi, sensus coërcendi.

Defleam praeteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vi-

tiosas propensiones: excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum saeculi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerimus, o Jesu, mandati tui et exempli, inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniantibus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis. Fac, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem. Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincere peccatorum confessione, fervida corporis Christi communione, continua mentis recollectione.

Discam a te, Deus, quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Amen.

Oratio s. Thomae Aquinatis pro variis virtutibus obtinendis. Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere; ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum, et quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam, possim et velim, et da exsequi, ut oportet et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa, ut in illis non extollar, et in istis non deprimar. De

nullo gaudeam vel doleam nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in caritate da facere, et quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara mihi sint omnia tua, et tu Deus meus plus, quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te.

Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione, proximum corrigere sine indignatione ip-

sumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio, et da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter exspectantem, fiduciam te feliciter amplectentem. Da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam, qui cum patre et spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Threnus s. Augustini. Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras offerimus, et plagas, quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum, quod fecimus, minus est quod patimur, majus, quod meremur; gravius est, quod commisimus, levius quod toleramus.

Peccati poenam sentimus et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur et iniquitas non mutatur. Mens aegra torquetur et cervix non flectitur. Vita in dolore suspirat et in opere non se emendat. Si exspectas, non corrigimur, si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione, quod egimus, obliviscimur post visitationem, quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus, si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus, ut parcas, si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes, Domine, confitentes reos; novimus quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Praesta, pater omnipotens, sine merito, quod rogamus, qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Dominum nostrum, Jesum Christum. Amen.

S. Augustini brevis commemoratio passionis D. J. Ch. Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis intente offerri; a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, lancea vulnerari, tu Domine; per has sacratissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui vivis etc.

Petitiones s. Aug. Domine Jesu, noverim me et noverim te; nec aliquid cupiam, nisi te. Oderim me et amem te; quidquid agam sit propter te. Humiliem me, exaltem te; nihil cogitem, nisi te. Mortificem me et vivam in te; quae-

cumque eveniant, accipiam a te. Persequar me, sequar te; semper optem sequi te. Fugiam me, confugiam ad te; dignus sim defendi a te. Timeam mihi, timeam te; simque de electis a te. Diffidam mihi, fidam in te; obedire velim propter te. In nullo afficiar, nisi in te. Aspice me, ut diligam te, voca me, ut videam te et in aeternum potiar te. Amen.

Oremus. Absorbeat, quaeso, Domine Jesu Christe, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui ab omnibus, quae sub coelo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Amen.

Oratio s. Augustini pro semetipso cunctoque populo christiano. Domine Deus omnipotens, qui es trinus et unus, qui es semper et in omnibus et eras ante omnia et eris semper in omnibus, Deus benedictus in saecula, tibi commendo hodie et omni tempore animam meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum; omnes cogitationes meas, affectiones, locutiones, actiones, omnia interiora et exteriora, sensum et

intellectum, memoriam meam, fidem et credulitatem meam et perseverantiam meam in manus potentiae tuae, ut custodias ea diebus et noctibus, horis atque momentis. Exaudi me, trinitas sancta, et conserva me ab omni malo et ab omni scandalo et ab omni mortali peccato, ab omnibus insidiis daemonum et inimicorum visibilium et invisibilium, per orationes patriarcharum, per merita prophetarum, per suffragia apostolorum, per constantiam martyrum, per fidem confessorum, per castitatem virginum et per intercessionem omnium sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi.

Expelle a me jactantiam mentis et auge compunctionem cordis; minue superbiam meam et perfice in me humilitatem veram; suscita in me fletum, mollifica cor meum durum et lapideum; libera me, Domine, et animam meam ab omnibus insidiis inimici, et conserva me in tua voluntate. Doce me, Domine, voluntatem tuam facere, quia Deus meus es tu. Da mihi, Domine, sensum perfectum, et inlellectum, ut suscipere valeam profundam benignitatem tuam. Il-

lud da mihi petere, quod te audire delectet et mihi expediat. Da mihi lacrimas ex toto affectu, quae peccatorum meorum possint dissolvere vincula. Praesta mihi, Domine, ut fraternam semper tenere valeam caritatem et mala mea non obliviscar, aliena non requiram.

Parce animae meae, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Visita me infirmum, cura me aegrum, sana me languentem et suscita me mortuum. Miserere mei, Deus, miserere mei et respice de sede sanctae majestatis tuae et tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina. Da mihi, Domine, discretionem discernendi inter bonum et malum, et concede, ut sensum habeam pervigilem. Peto a te remissionem omnium peccatorum meorum, a quo et per quem mihi fiat propitiatio in tempore necessitatis et augustiae meae.

Sancta et immaculata virgo, Dei genitrix Maria et mater Domini nostri Jesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Sancti omnesque justi, per illum, qui vos elegit et de cujus contemplatione

gaudetis, vos rogare praesumo, ut pro me culpabili ipsi Deo supplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli et de morte perpetua merear liberari. Largiri mihi digneris, Domine, perpetuam vitam secundum clementiam ac benignissimam misericordiam tuam.

Da, Domine Jesu, sacerdotibus concordiam, regibus et principibus juste judicantibus tranquillitatem et pacem. Oro, Domine, pro universa sancta ecclesia catholica, pro viris et foeminis, pro religiosis et saecularibus, pro omnibus rectoribus christianorum cunctisque in te credentibus, qui pro amore tui sancto laborant, ut perseverantiam boni operis obtineant.

Praesta, rex aeterne, virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimonium, poenitentibus indulgentiam, viduis et orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, lugentibus consolationem, defunctis fidelibus requiem sempiternam; optimis, ut in bonitate semper consistant, bonis et mediocribus, ut meliores fiant, prave agentibus et

delinquentibus, veluti mihi misero, ut cito se corrigant. Excita in me mentem, quae te requirat, te desideret et te semper prae omnibus amet, te timeat tuamque voluntatem faciat.

Praecipue te, Domine, sancte pater omnipotens, deprecor, ut omnes, qui mei memoriam faciunt in suis orationibus et qui indignis orationibus meis se commendaverunt, et qui mihi aliquod caritatis officium et pietatis studium impenderunt, seu et illos, qui consanguinitate et cognationis affectu sunt mihi propinqui, tam et illos, qui nunc consistunt in corpore, tam et illos, qui teguntur funere, misericorditer gubernare digneris, ne pereant. Omnibus etiam christianis vivis adjutorium praestare digneris, et defunctis fidelibus absolutionem et requiem sempiternam.

Nec non et illud magnopere supplico, Domine, ut cum extrema dies mea finisque vitae meae advenerit, tu mihi sis misericors judex et in societatem angelorum omniumque sanctorum in sancto paradiso tuo me perseverare facias, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Or. s. Augustini in vitae miseriis. Miserere, Domine, miserere pie, miserere mihi misero peccatori indigna agenti et digna patienti, assidue peccanti et tua flagella quotidie sustinenti. Si penso malum quotidie, quod feci, non est tantum, quod patior, gravius est, quod commisi, levius est quod tolero. Justus es, Domine, et rectum judicium tuum; omnia judicia tua justa et vera. Justus et rectus es, Domine Deus noster, et non est ulla iniquitas in te. Non enim injuste, neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens et misericors Domine; qui cum non essemus, potenter fecisti nos, et cum perditi essemus culpa nostra, pietate et benignitate tua mirabiliter reparasti nos.

Scio et certus sum, quod vita nostra non temerariis motibus agitur, sed a te, Domino Deo nostro disponitur et gubernatur, unde tibi cura est de omnibus, praecipue de servis tuis, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua.

Idcirco obsecro et suppliciter rogo, ut non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam merui, sed se-

cundum magnam misericordiam tuam, quam superat etiam peccata totius mundi.

Tu, Domine, qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem patientiam, ita, ut laus tua non recedat de ore meo.

Miserere mei, Domine, miserere mei et adjuva me, sicut tu nosti, quod est necesse in corpore et in anima. Scis omnia, potes omnia, qui vivis in saecula. Amen.

Oratio s. Augustini contra tentationes. Domine pater et Deus, vita, per quam omnia vivunt et sine qua omnia mortua computantur, ne derelinquas me in cogitatu maligno, et extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, aufer a me concupiscentias et animo irreverenti et infrunito non tradas me, sed posside cor meum, ut te cogitet semper. Illumina oculos meos, ut te videant et non extollantur ante te, gloria sempiterna, sed humiliter sentiant non in mirabilibus super se, et quae a dexteris sunt, videant et non quae a sinistris abs te.

Ecce, Domine Deus meus, mundus

totus plenus est tentationum laqueis, quos paraverunt pedibus meis, et quis effugiet hos laqueos? Profecto, a quo tu abstuleris extollentiam oculorum suorum, ut non eum capiat concupiscentia oculorum, et a quo tu abstuleris carnis concupiscentiam, ne eum capiat carnis concupiscentia, et a quo tu abstuleris animum irreverentem et infrunitum, ne eum callide decipiat superbia vitae. O quam felix, cui haec tu facies! Quippe transibit immunis per vitae tentationes.

Nunc redemptor te precor per te, adjuva me, ne corruam in conspectu adversariorum meorum, captus laqueis eorum, quos paraverunt pedibus meis, ut incurvent animam meam; sed irrue me, virtus salutis meae, ne sibi risum exhibeant de me inimici tui, qui oderunt te.

Exsurge, Domine Deus meus, fortis meus, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua. Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie tua, et ego abscondar in abscondito faciei tuae, et gaudeam cum filiis tuis, satiatus omnibus bonis tuis.

Et tu, Domine Deus pater orphanorum et tu mater pupillorum tuorum, audi ejulatum filiorum tuorum et extende alas tuas, ut fugiamus sub eas a facie inimici.

Exaudi turris fortitudinis Israël, qui non dormitabis neque dormies custodiens Israël.

Oratio s. Augustini in gratiarum actionem. Diligam te, Domine, quoniam prior dilexisti me. Et unde mihi verbum, ut explicem signa dilectionis tuae maxime erga me propter innumera beneficia tua, quibus a principio cumulasti me!

Post beneficium nempe creationis, quando in principio de nihilo ad imaginem tuam creasti me, honorificans et exaltans me inter eas creaturas, quas fecisti, et nobilitans lumine vultus tui, quo signasti superliminare cordis mei, quo ab insensibilibus pariter et sensibilibus brutis discrevisti me et paulo minus ab angelis minuisti. Parum et hoc fuit ante conspectum divinitatis tuae. Quoniam quotidianis et singularibus

maximisque donariis tuorum beneficiorum me sine intermissione nutrivisti, et quasi filium tuum parvulum tenellum uberibus tuae consolationis lactasti et confortasti me. Ut enim tibi solus servirem, omnia, quaecumque fecisti, in meum servitium tradidisti.

Ego autem filius ancillae tuae, qui me commendavi manui tuae, jam his meis pauperculis confessionibus confitear tibi, liberator meus, toto corde meo, et recolam ad mentem meam omnia bona tua, quae fecisti mihi a juventute mea in omni vita mea. Scio namque, quod ingratitudo multum tibi displiceat, quae est radix totius mali spiritualis et ventus quidem desiccans et urens omne bonum, abstruens fontem divinae misericordiae super hominem.

Et ego, Domine, gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi, liberator meus, quoniam liberasti me.

Quoties jam me obsorbuerat ille draco, et tu, Domine, ab ore ejus extraxisti me!

Cum contra te inique agebam, cum tua mandata frangebam, stabat ipse pa-

ratus, ut me raperet ad infernum, sed tu prohibebas. Ego te offendebam et tu me defendebas; ego te non timebam et tu me custodiebas, a te recedebam et inimico meo me exhibebam, tu ipsum, ne me acciperet, deterrebas.

Haec mihi tu, Domine, beneficia conferebas et ego miser non cognoscebam. Sic enim me multoties a faucibus diaboli liberasti, de ore leonis eripuisti et ab inferno licet nescientem multis vicibus reduxisti. Appropinquabam usque ad portas mortis, et ne me ipsae caperent tu fecisti.

De morte etiam corporis saepius eruisti me, salvator meus, cum graves morbi tenerent me, cum fui in periculis per aquas, per terras, ab igne et gladio et ab omni periculo liberans, semper mihi astans et misericorditer servans. Sciebas tu quidem, Domine, quia si tunc mors me occupasset, infernus animam meam suscepisset et perpetuo damnatus fuissem, sed tua misericordia et tua gratia praevenit me, eripiens me de morte corporis et de morte animae, Domine Deus meus.

Haec et multa mihi tua alia beneficia exhibuisti, et gratias ago tibi; licet viles et exiles et impares beneficiis tuis, quales habet mea fragilitas, offero.

Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres, totum me refecisti, ut totum me rehaberes.

Diligam te igitur, vita mea, diligam te, ineffabilis exultatio mea, et vivam jam non mihi sed tibi.

Oratio pro divina voluntate cognoscenda. Profiteor hodie coram te, Deus meus et rex meus, juravi et statui, custodire judicia justitiae tuae. Quamcumque viam mihi ostenderis, eligam; etiamsi difficilis sit, tu potens es; etiamsi humilis sit, tu sapiens es; etsi laboriosa, tu bonus es. Nemo potest venire ad te, nisi qui tollat crucem suam; impone mihi eam, quae placet majestati tuae. Tu enim es Dominus, nos servi; tu pater, nos filii; tu rex, nos subditi; tu denique pastor es, nos oves. Fac, quaeso, ut audiam vocem tuam, et co-

gnoscam eam, ut sequar te; qui enim non audit, non est ex ovibus tuis, neque ex electis tuis, qualem me esse confido, quodque me paratum sequi te non deseres, sed perduces, pastor bone, ut pascuam inveniam, et vitam habeam et abundantius habeam in te, o vita mea, et omne bonum meum. Amen.

Oratio adspirantis ad statum clericalem. Domine Deus, pater coelestis, qui me indignum servum tuum usque adhuc misericordissime duxisti et ab innumerabilibus malis clementissime praeservasti, porrige mihi dexteram tuam paternam, ne aberrem de via, quam te duce ingressus sum. Conforta me, ne sicut parvulus fluctuans mundanis agitatus desideriis gratiam, quam mihi dedisti, vacuam reddam. Augeas, Domine, in me studium orationis et puritatis, solitudinis et mundi contemptus, ad quod me inter varias hujus saeculi illecebras trahens vocationem meam ad statum clericalem mihi benignissime indicasti. Da mihi perfectam tui cognitionem et amorem sincerum, ut te totis viribus amans

me ipsum derelinquam et tibi soli vivam. Infunde cordi meo spiritum poenitentiae, ut omnia peccata mea et negligentias meas deplorare, et vitam vocationi meae convenientem agere valeam. Tibi me totum commendo; sanctifica me, pater, ne superbia elatus laedam puritatem animae meae, nec indignum reddam cor meum mansione filii tui, Domini nostri Jesu Christi, qui me miserum toties sanctissimo corpore et sanguine suo recreare dignatus est, cujusque sacrificium tremendum suo tempore quotidie offerre intendo. Illumina intellectum meum, ut omnes vanas cogitationes devitans veritatem quaeram, firma et viva fide doctrinae tuae, quam ecclesia tua sancta catholica universo mundo te rectore praedicat, adhaeream, eamque verbo et opere profitear. Custodi me, Domine, ne acedia et gula corpus, prava locutione linguam, mala auditione aures, incauto aspectu oculos, levi ingressu pedes, peccaminosa attrectatione manus meas contaminem, quo minus indignior reddar, altari dilectissimi filii tui incruento adstare, sacramenta administrare, evan-

gelium annuntiare et nomen tuum sanctissimum in ecclesia invocare. Doce me animae meae curam habere, ut possim aliquando curam suscipere aliorum, nec aliis exemplum impietatis praebens in ecclesia tua ad destructionem ambulem. Fac me tibi servire in sanctitate et justitia omnibus diebus, ut in sortem filii tui electus toti mundo renuntiem, et mundo crucifixus una cum omnibus, quas mihi credendas proposuisti, animis, ad vitam perveniam sempiternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Orat. pro ecclesia. Dirige, Domine, quaesumus, ecclesiam tuam dispensatione coelesti, ut, quae ante mundi principium in tua semper est praesentia praeparata, usque ad plenitudinem gloriamque promissam te moderante perveniat.

Orat. pro papa. Da, quaesumus, Domine, famulo tuo N., quem pascendis agnis et ovibus tuis praefecisti, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum

scientiae et pietatis, ut sub tanto pontifice crescat devotio sancta fidelium, et salus ecclesiae gaudium sit et corona pastoris.

Orat. pro dioecesi. Ecclesiam tuam, Domine, sub sancti N. patrocinio supplicantem paterna pietate custodi, ut cujus praedicatione plantata est et sudore (ac sanguine) irrigata, ejus precibus crescat semper in cognitionc et amore Domini nostri Jesu Christi.

Orat. pro antistite dioecesis. Deus, qui famuli tui N. humeris onus imposuisti ipsis angelicis spiritibus formidandum, da ei robur majoris auxilii, ut pondus illud ad consummationem sanctorum et in aedificationem corporis Christi valeat te adjuvante sustinere.

Orat. pro sacerdotibus. Deus, qui unigenitum tuum dedisti summum sacerdotem eique ad sacrificandum tibi hostiam mundam sacerdotes ministros sociasti, quaesumus, ut omnes, qui vocatione tam sancta dignati sunt, altari

tuo devote ministrent et se ipsos hostiam vivam et sanctam offerre mereantur.

Orat. pro omni gradu ecclesiae. Exaudi nos, Deus, humiliter deprecantes, ut diffusa in singulos ordines gratia tua, suum quisque ministerium fideliter adimpleat, et ecclesia tua in omnium oculis gloriosa semper appareat.

Orat. pro rege. Quaesumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus, rex noster N., qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra vitare et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire.

Oratio pro pace.

Ant. Da, Domine, pacem in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

V. Fiat pax in virtute tua;

R. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum etc.

V. Dominus vobiscum:

R. Et cum spiritu tuo.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Orat. pro familia. Defende, quaesumus, Domine, beata Maria semper virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Orat. pro amicis. Concede, quaesumus, Domine, famulis tuis, quibus dedisti in nos caritatem, indulgentiam peccatorum, consolationem vitae gubernationemque perpetuam, qua tibi fide-

liter servientes ad tuam jugiter misericordiam pervenire mereantur.

Orat. pro inimicis. Deus, qui nobis praecepisti pro inimicis orare, dimitte, quaesumus, peccantibus in nos peccata sua, ut tibi reconciliati vera pace et caritate hic et in aeternum perfrui mereantur.

Orat. in quacumque angustia. Da, quaesumus, Domine, mihi et mentem, qua tibi devotus existam, et intellectum, quo justa deposcam, et propitiationem tuam, qua pie desideranti, quae sunt profutura, concedas.

Orat. pro tentatis et tribulatis. Deus, qui justificas impium et non vis mortem peccatoris, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulos tuos, de tua misericordia confidentes, coelesti protegas benignus auxilio et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur et nullis tentationibus a te separentur.

Orat. pro infirmis. Omnipotens sem-

piterne Deus, salus aeterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in ecclesia tua referant actiones.

Orat. pro felici morte. Deus, qui nos salutari providentia, ut a mortifero sopore excitares, diem et horam mortis nescire voluisti, concede nobis ita vigilare et orare omni tempore, ut absque peccati macula de hoc mundo exire et in sinu misericordiae tuae requiescere mereamur. Per Dominum etc.

ORATIONES PRO DEFUNCTIS.

V. Requiem aeternam dona eis Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Ps. Miserere, vid. pg. 261.

Ps. De profundis, vid. pg. 265.

Requiem aeternam etc., Kyrie etc., Pater etc.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animam (s) ejus (eorum).

V. Credo videre bona,

R. In terra viventium.

V. Requiescat (nt) in pace.

R. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus pro defuncto summo pontifice. Deus, qui inter summos sacerdotes famulum tuum N. ineffabili tua dispositione connumerari voluisti, praesta, quaesumus, ut qui unigeniti filii tui vices in terris gerebat, sanctorum tuorum pontificum consortio perpetuo aggregetur.

Or. pro defuncto episcopo vel sacerdote. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N. pontificali (sacerdotali) fecisti dignitate vigere, praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio.

Or. pro uno defuncto vel una defuncta. Absolve, quaesumus, Domine, animam famuli (ae) tui (ae) a vinculis delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos tuos resuscitatus (a) respiret.

Or. pro defuncto patre et matre. Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti, miserere clementer animabus patris et (vel) matris meae, eorumque peccata dimitte, meque eos in aeternae claritatis gaudio fac videre.

Or. pro omnibus fidelibus defunctis. Fidelium omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis etc.

V. Requiem aeternam dona eis Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Requiescant in pace. Amen.

OFFICIUM PARVUM PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Ad matutinum.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

V. Requiem aeternam dona eis Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Dies irae, dies illa,
Solvet saeclum in favilla,
Teste David cum Sybilla.
Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus.

V. Audivi vocem de coelo dicentem mihi:

R. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. De temporibus et momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vo-

bis: ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

V. Domine, exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniet.

Oremus. Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad primam.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

V. Requiem aeternam dona eis Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulcra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.

V. Audivi vocem de coelo dicentem mihi:

R. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Ipse Dominus in jussu et voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

Domine exaudi etc. ut supra.

Ad tertiam.

Sancta et salubris et cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit;
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Cum vix justus sit securus.

V. Audivi vocem de coelo dicentem mihi:

R. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

Domine exaudi etc. ut supra.

Ad sextam.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

V. Requiem aeternam dona eis Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Rex tremendae majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.

Recordare Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.
Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus.
Tantus labor non sit cassus.

V. Audivi vocem de coelo dicentem mihi:

R. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.

Domine exaudi etc. ut supra.

Ad nonam.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco tamquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus,
Qui Mariam absolvisti
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

V. Audivi vocem de coelo dicentem mihi:

R. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Haec est voluntas patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Domine exaudi etc. ut supra.

Ad vesperas.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum praesta
Et ab hoedis me sequestra
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis
Voca me cum benedictis.

V. Audivi vocem de coelo dicentem mihi:

R. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.

Domine exaudi etc. ut supra.

Ad completorium.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis salvantur.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine!

R. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lacrimosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus!
Huic ergo parce Deus,
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem. Amen.

V. Audivi vocem de coelo dicentem mihi:

R. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii.

Domine exaudi etc. ut supra.

Commendatio.

O magne pater Domine
Misericordiarum,
Jesu redemptis sanguine
Sis immemor irarum.
Indulge te amantibus
Tuam benignitatem,
Poenasque deprecantibus
Concede libertatem.

ORATIONES ECCLESIAE ET ASPIRATIONES DE FESTIS ET TEMPORIBUS FESTIVIS.

Adventus. Excita, quaesumus, Domine, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis etc.

Aspir. Creator alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Jesu redemptor omnium,
Intende votis supplicum.

Conceptio (nativitas) B. M. V. Famulis tuis, quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, conceptionis (nativitatis) ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dom. etc.

Asp. O Deipara beata,
Candida, immaculata,
Prae candore nivium:
Super nivem dealbatum
Me ad regnum praeparatum
Duc sanctorum civium.

Nativitas Domini. I. Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da, quaesumus, ut, cujus lucis mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in coelo perfruamur. Qui tecum etc.

II. Da nobis, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui nova incarnati verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per eundem etc.

III. Concede, quaesumus, omnipo-

tens Deus, ut nos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eundem etc.

Asp. Parve puer, magne Deus,
Qui, ut salver homo reus,
Natus es in Bethleem;
Duc me per humilitatem,
Et per mentis paupertatem
Ad aeternam requiem.

Festum s. Stephani. Da nobis, quaesumus Domine, imitari, quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus orare Dominum etc.

Asp. Quaeso, Stephane beate,
Propter Christum lapidate,
Ut tua oratio,
Qua pro hostibus orasti
Atque Paulum impetrasti,
Mihi sit solatio.

Circumcisio Domini. Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda, humano generi praemia prae-

stitisti, tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum etc.

Asp. Per hoc nomen tuum dulce
Meum cor amore mulce,
Pie Jesu Domine;
Spero, quamvis sim peccator,
Quia eris tu salvator
In hoc sacro nomine.

Epiphania Domini. Deus, qui hodierna die unigenitum tuum gentibus duce stella revelasti, concede propitius, ut, qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eundem etc.

Asp. O in fide nos exculti
Sancti reges, qui sepulti
Estis in Colonia:
Ferte nobis verum lumen
Et placate coeli numen
Vestra sanctimonia.

Festum purificationis B. M. V. Omnipotens, sempiterne Deus, maje-

statem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus filius tuus hodierna die nostrae carnis substantia in templo est repraesentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari. Per eundem etc.

Asp. Virgo, prolem hanc divinam
Roga, ne sit in ruinam
Mihi, quando moriar,
Sed in resurrectionem,
Et post ultimum agonem
Fac ut coelo oriar.

Feria IV. cinerum. Praesta, Domine, fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda solemnia et congrua pietate suscipiant et secura devotione percurrant. Per Dominum etc.

Asp. Deus hominum plasmator,
Rerum omnium curator,
Cum virtute agili;
Heu cum fateor peccator
Dolens, precor, mi salvator,
Parce vasi fragili.

Tempore quadragesimali. Deus, qui ecclesiam tuam annua quadragesimali

observatione purificas, praesta familiae tuae, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dom.

Asp. O crux, ave, spes unica!
Hoc passionis tempore
Auge piis justitiam
Reisque dona veniam.

V. Adoramus te Christe et benedicimus tibi;

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus. Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam nunc et in hora mortis meae, et mihi largiri digneris gratiam et misericordiam, vivis et defunctis requiem et veniam, ecclesiae tuae pacem et concordiam, et nobis peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis etc.

Annuntiatio B. M. V. Deus, qui de beatae Mariae virginis utero verbum tuum, angelo nuntiante, carnem susci-

pere voluisti, praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Dei genitricem credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem etc.

Asp. O Maria, mater Chrisi,
Tu, quae mundo succurristi
Perdito miserrime,
Quando carnis onus grave
Deseremus, per hoc ave
Succurre celerrime.

Festum sept. dolorum B. M. V. Deus, in cujus passione secundum Simeonis prophetiam dulcissimam animam gloriosae virginis et matris Mariae doloris gladius pertransivit, concede propitius, ut qui transfixionem ejus et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus, passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis etc.

Asp. Sancta mater, istud agas:
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide;

Tui nati vulnerati,
Jam dignati pro me pati
Poenas mecum divide.

Dominica resurrectionis. Deus, qui hodierna die per unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quae praeveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eund.

Asp. Vere agne, morte tristi
Qui peccata abstulisti
Mundi, Jesu Domine;
Ut resurgam fac meorum
De sepulcro peccatorum
Tuo fidens nomine.

Dies ascensionis. Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui hodierna die unigenitum tuum redemptorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eundem etc.

Asp. Christe Jesu, ascendisti
Qui exilio de tristi
Ad coelestem gloriam;

Da, sic humilis descendam,
Ut post hanc ad coelos tendam
  Vitam transitoriam.

Festum pentecostes. Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum ... in unitate ejusdem sp. sct. etc.

Asp. Sancte spiritus, me bonis
Tuis septem coeli donis
  Reple et muneribus,
Habitum ut vitiorum
Extinguendo vi dolorum
  Inserar sideribus.

Festum Trinitatis. Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dom. etc.

Asp. Pater, fili, flamen sanctum,
Mulce nostrae vitae planctum
Coelicis solatiis;
Fac, ut tibi serviamus,
Et post mortem videamus
Te repleti gratiis.

Festum corporis Christi. Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Asp. O sacrum catholicorum
Christi corporis piorum
Pignus venerabile!
Hoc viatico me muni,
Christe, et me tibi uni,
Donas cor amabile.

Festum Petri et Pauli. Deus, qui hodiernam diem apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da ecclesiae tuae eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumsit exordium. Per Dom. etc.

Asp. O apostoli beati,
Sanguine qui purpurati
Romae estis pariter;
Exorate nobis fidem
Christi vivam, quam jam pridem
Plantavistis gnaviter.

Assumptio B. M. V. Famulorum tuorum, quaesumus, Domine, dilectis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, genitricis filii tui Domini nostri intercessione sublevemur. Per eundem etc.

Asp. O Maria imperatrix
Coeli, terrae reparatrix,
Genitrix altissimi,
Fac post vitam me consortem
Tuae gloriae per mortem
Jesu amantissimi.

Festum angelorum cust. Deus, qui ineffabili providentia sanctos angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi et aeterna societate gaudere. Per Dom. etc.

Asp. O mi custos immortalis,
Langueo heu corporalis
Saepe in certamine;
Fac me vincere pro Deo,
Sed praecipue in meo
Ultimo examine.

Festum omnium sanctorum. Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dom. etc.

Asp. O vos sancti triumphantes,
Ad nos adhuc militantes,
Quaesumus, respicite,
Et in nostra agonia
Nos coelesti hierarchia
Hilares efficite.

Litaniae omnium sanctorum.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta trinitatis unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei genitrix,
Sancta virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
} ora pro nobis.

Omnes sancti angeli et archangeli, orate.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes sancti patriarchae et prophetae, orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
} ora pro nobis.

Sancte Bartholomaee, ⎫
Sancte Matthaee, ⎪
Sancte Simon, ⎪
Sancte Thaddaee, ⎬ ora pro nobis.
Sancte Matthia, ⎪
Sancte Barnaba, ⎪
Sancte Luca, ⎪
Sancte Marce, ⎭
Omnes sancti apostoli et evangelistae, orate pro nobis.
Omnes sancti discipuli Domini, orate.
Omnes sancti innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ⎫
Sancte Gregori, ⎪
Sancte Ambrosi, ⎪
Sancte Augustine, ⎬ ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ⎪
Sancte Martine, ⎪
Sancte Nicolae, ⎭

Omnes sancti pontifices et confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Sancte Francisce, ora pro nobis.
Omnes sancti sacerdotes et levitae, orate.
Omnes sancti monachi et eremitae, orate.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
} ora pro nobis.
Omnes sanctae virgines et viduae, orate.
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro nob.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera nos, Domine.
Ab ira tua, libera nos, Domine.
Ab subitanea et improvisa morte, libera nos, Domine.

Ab insidiis diaboli,
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum spiritus sancti paracleti,
In die judicii,

} libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et sonservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

} te rogamus, audi nos.

Agnus Dei etc. Pater etc.

Psalmus 69. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur: qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi: euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te: et dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria patri. Sicut erat.

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus sperantes in te.

V. Esto nobis Domine turris fortitudinis;

R. A facie inimici.

V. Nihil proficiat inimicus in nobis;

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

V. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis;

V. Oremus pro pontifice nostro N.

R. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

V. Oremus pro benefactoribus nostris.

R. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

V. Oremus pro fidelibus defunctis.

R. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Pro fratribus nostris absentibus.

R. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

V. Mitte eis Domine auxilium de sancto;

R. Et de Sion tuere eos.

V. Domine exaudi etc.

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta

consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, pii supplicationibus consequantur.

Actiones nostras quaesumus Domine aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel

praesens saeculum adhuc in carne retinet vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. R. Amen.

V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

ORATIONES ET ASPIRATIONES DE FESTIS SS. PATRONORUM.

In fest. s. Josephi (19. Mart.). Or. pro felici morte impetranda. O s. Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui et dulcissimae sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti, succurre mihi, o s. pater cum Jesu et Maria tunc potissimum, quando mors vitae meae finem imponet, illudque, quod unice

peto, solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Jesu et Mariae brachiis exspirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Jesus, Maria, Joseph.

Asp. Inter Jesu et Mariae
Qui fuisti Joseph pie
Cum amplexu moriens,
Fac ut in suprema die,
Ope Jesu et Mariae
Superis sim oriens.

In fest. s. Philippi Nerei (26. Maj.). Or. Deus, qui beatum Philippum confessorem tuum sanctorum tuorum gloria sublimasti, concede propitius, ut cujus solemnitate laetamur, ejus virtutum proficiamus exemplo.

Asp. Sancte o Philippe Neri,
Fulgidum exemplar cleri
Ac virtutum semita,
Affer lacrimarum donum,
Purus quo ad Christi thronum
Scandam coeli praemia.

In fest. s. Aloysii (21. Jun.). Or. Coelestium donorum distributor Deus, qui

in angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti, ejus meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur.

Asp. O beate Aloysi!
Per peccata heu amisi
Cordis innocentiam!
Fac me coram crucifixo
Corde lacrimans enixo
Agam poenitentiam.

In fest. Joannis bapt. (24. Jun.) Or. Beati Joannis baptistae nativitatem celebrantes, da nos, quaesumus Domine, poenitentiae, quam praedicavit, dignos fructus facere, ut viam in cordibus nostris praeparemus Jesu Christo Domino nostro.

Asp. O Joannes lux diei
Christi, monstra agnum Dei
Mihi, quando moriar.
Praeeunte praecursore
Coelo tecum ex amore
Deo fac oboriar.

In fest. s. Ignatii Lojolae (31. Jul.). Or. Eum in nobis, quaesumus Domine, accende caritatis ardorem, quem sancto sacerdoti tuo Ignatio pro salute animarum inspirasti, ut digne vocatione nostra ambulantes promissum bene operantibus mereamur praemium obtinere.
Asp. O Ignati, summo zelo
Laborasti qui pro coelo
Domino propitio,
Doce me in Christi schola,
Ut, quae Dei sunt, haec sola
Discam carens vitio.

In fest. s. Augustini (28. Aug.). Or. Amor, qui semper ardes et nunquam extingueris, caritas Deus noster, accende nos igne tui amoris, et praesta, ut exemplo beati Augustini ex omni corde tibi inhaerentes in terris, aeternum te ipso frui mereamur in coelis.
Asp. Magne sancte Augustine,
Caritatis vas divinae,
Qua flagrabat cor tuum,
Fac cor meum inflammatum
Caritate, ut peccatum
Fiat in me mortuum.

In fest. s. Francisci seraph. (4. Oct.) Or. Deus, qui te parvulis et humilibus revelare non dedignaris, tribue, quaesumus, imitatione beati Francisci, et stultam hujus mundi dediscere sapientiam, et solum ediscere Jesum Christum crucifixum.

Asp. Sancte praesul, o Francisce,
Fac peccata mea per te
Sint deleta coelitus,
Ut inveniam quaerendo
Crucifixum et tenendo
Moriar anhelitus.

In fest. s. Francisci Xaverii (3. Dec.). Or. Renova, quaesumus, Domine, in ministris tuis apostolici zeli fervorem, qui beato Francisco Xaverio sacerdoti tuo dedisti, eadem, quae primis ecclesiae diebus operati sunt apostoli, postremis saeculis te duce tentare et te protegente perficere.

Asp. O Xaveri, per hunc zelum,
Quocum implevisti coelum
Animis innumeris,

Ut in fide ambulemus
Atque Christi fac portemus
Crucem nostris humeris.

In fest. s. Barbarae (4. Dec.). Or. Ostende nobis, Domine, quaesumus, tuae pietatis misericordiam, quam in sancta Barbara pie et misericorditer condidisti, ut ipsius precibus et meritis a subitanea et improvisa morte liberemur, et ante diem et horam exitus nostri tui sacratissimi corporis et sanguinis sacraeque unctionis sacramentis salubribus muniamur, eaque intercedente ab omni hostium incursu protegamur, et ad te pia devotione et laetitia perducamur.

Asp. Virgo, gratiam implora
Mihi, ut in mortis hora
Sacramentis muniar;
Fac ut per confessionem
Sacram et communionem
Deo meo uniar.

SECTIO QUINTA.

S. MARIA VIRGO ET DEIPARA,

DULCIS CHRISTIANORUM DEPRECATRIX.

Omni die dic Mariae
Mea laudes anima;
Ejus festa, ejus gesta,
Cole devotissima.

Contemplare et mirare
Ejus celsitudinem;
Dic felicem genitricem,
Dic beatam virginem.

Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.

Haec persona nobis dona
Contulit coelestia;
Haec regina nos divina
Collustravit gratia.

Lingua mea, dic trophaea
Virginis puerperae,
Quae inflictum maledictum
Miro transfert germine.

Sine fine dic reginae
Mundi laudum cantica;
Ejus bona semper sona,
Semper illa praedica.

Sed necesse, quod prodesse
Piis constat mentibus,
Ut intendam, quod impendam
In ipsius laudibus.

Ne avertas oculos tuos a fulgore hujus sideris (Mariae), si non vis abrui

procellis: si insurgunt venti tentationum, respice stellam, voca Mariam.

Ipsam sequens non devias; ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras; ipsa tenente non corruis; ipsa protegente non metuis; ipsa duce non fatigaris; ipsa propitia pervenis et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit: et nomen virginis ***Maria.*** *) (S. Bernard.)

Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis modo propitium redde, et post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

o **MarIa** sIne **Labe ConCepta**
InterCeDe pro nobIs!

O sanctissima,
O piissima,
Dulcis virgo Maria;
Mater amata,
Intemerata,
Ora pro nobis!

*) Maria, i. e. maris stella.

OFFICIUM DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. V. MARIAE.

Ad matutinum.

Eja, mea labia, nunc annuntiate;
Laudes et praeconia virginis beatae.

V. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria patri. Alleluja.

(A septuagesima usque ad pascha, loco Alleluja, dicitur: Laus tibi, Domine, rex aeternae gloriae.)

Hymnus.

Salve mundi Domina,
Coelorum regina;
Salve, virgo virginum,
Stella matutina.

Salve plena gratia,
Clara luce divina;
Mundi in auxilium,
Domina, festina.

Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit

Terram, pontum, aethera;
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, quae in
Adam non peccavit.

V. Elegit eam Deus, et praeelegit eam.

R. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

V. Domina, protege orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Sancta Maria, regina coelorum, mater Domini nostri Jesu Christi, et mundi Domina, quae nullum derelinquis, et nullum despicis; respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum filium cunctorum veniam peccatorum, ut, qui nunc tuam sanctam et immaculatam conceptionem devoto affectu recolo, aeternae in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem virgo pe-

peristi, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum patre et sancto spiritu vivit et regnat, in trinitate perfecta Deus, in saecula saeculorum.

Amen.

V. Domina, protege orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Ad primam.

V. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria patri. Alleluja.

Hymnus.

Salve virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columna septemplici
Mensaque exornata.

Ab omni contagio
Mundi praeservata
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.

Tu mater viventium
Et porta es sanctorum;
Nova stella Jacob,
Domina angelorum.

Zabulo terribilis
Acies castrorum;
Portus et refugium
Sis christianorum. Amen.

V. Ipse creavit illam in spiritu sancto;

R. Et exaltavit illam inter omnia opera sua.

V. Domina etc., *cum oratione ut supra* pag. 364.

Ad tertiam.

V. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria patri. Alleluja.

Hymnus.

Salve arca foederis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher aetheris,
Rubus visionis;

Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis;
Porta clausa numinis,
Favusque Samsonis.

Decebat tam nobilem
Natum praecavere
Ab originali
Labe matris Evae.

Almam, quam elegerat,
Genitricem vere,
Nulli prorsus sinens
Culpae subjacere. Amen.

V. Ego in altissimis habito;

R. Et thronus meus in columna nubis.

V. Domina etc., *cum oratione*, pag. 364.

Ad sextam.

V. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria patri. Alleluja.

Hymnus.

Salve virgo puerpera,
Templum trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis;

Solamen moerentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiae,
Cedrus castitatis;

Terra es benedicta
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpae originalis.

Civitas altissimi,
Porta orientalis,

In te est omnis gratia,
Virgo singularis. Amen.

V. Sicut lilium inter spinas;
R. Sic amica mea inter filias Adae.
V. Domina etc., *cum oratione,* pag. **364.**

Ad nonam.

V. Domina, in adjutorium meum intende.
R. Me de manu hostium potenter defende.
V. Gloria patri. Alleluja.

Hymnus.

Salve urbs refugii,
Turrisque munita
David, propugnaculis
Armisque insignita.

In conceptione
Caritate ignita
Draconis potestas
Est a te contrita.

O mulier fortis,
Et invicta Judith,

Pulchra Abisag virgo,
Verum fovens David!

Rachel curatorem
Aegypti gestavit;
Salvatorem mundi
Maria portavit. Amen.

V. Tota pulchra es, amica mea;

R. Et macula originalis nunquam fuit in te.

V. Domina etc., *cum oratione,* pag. 364.

Ad vesperas.

V. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria patri. Alleluja.

Hymnus.

Salve horologium,
Quo retrogradiatur
Sol in decem lineis;
Verbum incarnatur.

Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab angelis
Paulo minoratur.

Solis hujus radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.

Lilium inter spinas,
Quae serpentis conterat
Caput; pulchra ut luna
Errantes collustrat. Amen.

V. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens;

R. Et quasi nebula texi omnem terram.

V. Domina etc., *cum oratione*, pag. 364.

Ad completorium.

V. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus filius tuus;

R. Et avertat iram suam a nobis.

V. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

V. Gloria patri. Alleluja.

Hymnus.

Salve virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiae,
Stellis coronata,

Super omnes angelos
Pura immaculata,
Atque ad regis dexteram
Stans veste deaurata;

Per te, mater gratiae,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum,

Patens coeli janua,
Salus infirmorum;
Videamus Regem
In aula sanctorum. Amen.

V. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.

R. Servi tui dilexerunt te nimis.

V. Domina etc., *cum oratione*, pag. 364.

Commendatio.

Supplices offerimus
Tibi, virgo pia,
Haec laudum praeconia!
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria! Amen.

R. Deo gratias.

Centum dies indulgentiae, quotiescumque sequens oratio jaculatoria corde contrito devote recitabitur, concessit Pius papa VI. 21. Nov. 1793.

In conceptione tua, virgo Maria, immaculata fuisti; ora pro nobis patrem, cujus filium Jesum de spiritu sancto conceptum peperisti.

Maria sine labe concepta.

Virgo virginum praeclara,
Praeter omnes Deo cara,
Dominatrix coelitum,
Fac nos pie Te cantare,
Praedicare et amare,
Audi vota supplicum.

Quis est dignus, laude digna
Collaudare Te, benigna
Virgo, fons charismatum!
Gratiis es tota plena,
Tota pulcra, lux serena,
Dei tabernaculum.

O quam magna Tibi fecit,
Qui potens est, et adjecit
Gratiam ad gratiam!
Qui coelum terramque regit,
Matrem sibi Te selegit,
Sponsam atque filiam.

Virgo, vere benedicta,
Culpa nunquam es obstricta
Carnis in exilio,

Sine labe Tu concepta,
Magno lapsui praerepta,
Summo privilegio.

Contendebat certatura
Tunc cum Gratia Natura,
Gratia praevaluit;
A peccato praeservatam
Immunem et illibatam
Mire Te constituit.

Eva nova novae legis,
Praeelecta summi regis,
Consors ejus gloriae,
Tu draconem domuisti,
Forti pede contrivisti
Victrix caput Satanae.

Semper fulgens munda stola,
Inter mundas munda sola,
Ascendisti sidera;
Super agmina sanctorum,
Super choros angelorum
Sceptra geris Domina.

Oras nunc a dextris Nati,
Jugo solvat ut peccati,
Quos redemit sanguine;

Manus Tuae stillant dona,
Vitae fac coelestis bona
Et in nos defluere.

Esto nobis maris stella,
Ne nos fluctuum procella
Navigantes obruat;
Ex qua salus est exorta,
Esto nobis Coeli porta,
Quae salvandis pateat.

Virgo clemens, virgo pia,
Duc salutis nos in via
Vitae per exilium;
Nos, o Mater, hic tuere,
Olim istic fac videre
Te Tuumque Filium.

Fac, Te duce, nos orare,
Vigilare et certare,
Certos Tuae gratiae;
Funde nobis pia dona,
Custos, mater et patrona
Sanctae sis Coloniae.
(Ecclesiae).

Fac nos stare fide vera,
Charitate, spe sincera.
Absque culpae macula;
Gregem Tibi sic dicatum,
Jam a patribus sacratum
Protegas in saecula.

(v. Geissel.)

Oratio in honorem B. Virginis sine peccato conceptae.

S. Maria, regina coeli, mater Domini nostri Jesu Christi, regina mundi, quae nullum ad te confugientem destituis, nullum peccatorem despicis, oculis illis, quos habes clementiae plenos ad me respice atque apud filium tuum carissimum per conceptionem tuam sanctissimam, purissimam integerrimamque mihi veniam impetra peccatorum, ut qui tuam in terris pie recolo gloriam, in altera vita aeternae gloriae palma doner ab illo, quem peperisti, Domino nostro Jesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Virgo purissima, sine ullo haeredi-

tarii peccati maculo in utero matris Annae concepta, per eam extraordinariam conceptionem ac perfecte custoditam puritatem tuam te obsecro, ut meum quoque corpus et animum ab omni peccato tuearis alienum, in nomine patris etc. Amen.

„Memorare" s. Bernardi.

Memorare, o piissima virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te, virgo virginum, mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto; noli, mater verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi.

Amen.

Litaniae Lauretanae.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Maria, sine labe concepta,
Sancta Dei genitrix,
Sancta virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,

} ora pro nobis.

Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium christianorum,
Regina angelorum,
Regina patriarcharum,
Regina prophetarum,
Regina apostolorum,
Regina martyrum,
Regina confessorum,
Regina virginum,
Regina sanctorum omnium,
Regina pacis,
} ora pro nobis.
Agnus Dei etc.
Pater noster. Ave.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes non despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos, semper virgo gloriosa et benedicta; domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repraesenta.

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix;

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui angelo nuntiante Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eund. etc.

V. Ora pro nobis, beatissime Joseph,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Sanctissimae genitricis sponsi, quaesumus, Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non

obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui etc.

Canticum B. M. V.

Magnificat: anima mea Dominum,

Et exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo,

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes;

Quia fecit mihi magna, qui potens est: et sanctum nomen ejus;

Et misericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in bracchio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Disposuit potentes de sede: et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiae suae;

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria patri etc. Sicut erat etc.

Anima virginis illumina me,
Corpus virginis custodi me,
Cor virginis inflamma me,
Transitus virginis confirma me;
O Maria, mater gratiae intercede pro me!
Tibi in famulum suscipe me,
Fac me semper confidere te,
A malis omnibus protege me,
In hora mortis meae adjuva me,
Et iter mihi para tutum ad te,
Ut cum electis omnibus glorificem te,
In saecula saeculorum. Amen.

Maria mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Oratio s. Augustini ad beatam Virginem.

O beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum et laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persol-

vat, quae solo tuo commercio recuperandae salutis aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus; accipe, quod offerimus, redona, quod rogamus, excusa, quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est exspectatio praemiorum.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto foemineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

Oratio s. Bernardi ad deiparam virginem Mariam.

O dulcissima virgo Maria, per te accessum habeamus ad filium, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est

nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua Deo tam grata nostrae veniam impetret vanitati ac superbiae.

Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum.

O domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut, qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis et gloriae suae, Jesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula. Amen.

Commendatio ad beatam Virginem.

O domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique filii voluntatem.

Oratio ad beatam virginem Mariam pro felici morte.

O dulcissima Jesu mater, virgo Maria, patrona mea, visceribus misericordiae plena, succurre mihi misero peccatori antequam mors subitanea et improvisa superveniat, ne subito et imparatus de hoc mundo transeam.

Ora pro me, Maria, virgo benedicta, ob unigeniti filii tui Domini nostri Jesu Christi passionem ac mortem amarissimam, ut peccati detestatione, diaboli et operum ejus abrenuntiatione, vera contritione, pura et humili confessione, poenitentia et satisfactione, digna ss. sacramentorum acceptione, et proximi dilectione, filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam.

Fac mecum misericordiam tuam, o beata virgo Maria, mater Dei, in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient et mortua lingua se non poterit movere ad invocandum te, neque oculi mei lucem capere poterunt auresque meae nulli voci patescent; memor esto tunc, o Maria, precum, quas nunc fundo ad aures tuae pietatis, et subveni mihi in illa ultima hora necessitatis meae, ut liberer a ministris diaboli, et collocer cum Christi fidelibus, filii tui servis et amicis. Amen.

V. In omni tribulatione et angustia nostra;

R. Succurre nobis beatissima virgo Maria.

Oremus. Interveniat pro nobis, quaesumus Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam beata virgo Maria, mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuae passionis doloris gladius pertransivit. Qui vivis et regnas etc. Amen.

Planctus B. V. Mariae.

Stabat mater dolorosa
Juxta crucem lacrimosa,
Dum pendebat filius;

Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!

Quae moerebat et dolebat,
Pia mater, dum videbat
Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?

Qui non posset contristari,
Christi matrem contemplari
Dolentem cum filio?

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem natum,
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eja mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari,
Et cruore filii.

Flammis ne urar succensus,
Per te, virgo, sim defensus
In die judicii.

Christe, cum sit hinc exire,
Da per matrem me venire
Ad palmam victoriae.

Quando corpus morietur,
Fac ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

SECTIO SEXTA.

PRECES POMERIDIANAE.

MEDITATIO
DE SUPERNAE DIVINITATIS CELSITUDINE.

Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedicite Domino omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino!

Laudemus Deum, quem laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cui Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant: sanctus, sanctus, sanctus.

Jungamus voces nostras vocibus angelorum sanctorum et commune Dominum laudemus pro medullo nostro; illi enim laudant Dominum purissime et incessanter, qui semper inhaerent contemplationi divinae non per speculum et in aenigmate, sed facie ad faciem.

Sed quis dicere et cogitare sufficiat, qualis sit in conspectu Domini Dei omnipotentis illa beatorum spirituum coelestiumque virtutum innumerabilis multitudo? Quae sit in eis sine fine festivitas visionis Dei? Quae laetitia sine defectu? Quis amoris ardor non crucians sed delectans? Quod sit in eis desiderium visionis Dei cum satietate et satietas cum desiderio, in quibus nec desiderium poenam generat, nec satietas fastidium parit? Quomodo conjuncti vero lumini facti lux sunt? Quomodo semper aspicientes trinitatem mutati sunt in incommutabilitatem?

Sed quando illam angelicae dignitatis celsitudinem comprehendere poterimus, quando nec ipsius animae nostrae naturam investigare valemus? Qualis est illa, quae carnem vivificare potest,

se autem in sanctis cogitationibus, ut volet, constringere non potest? Qualis est ista tam fortis, tam infirma, tam parva, tam magna, quae rimatur secreta Dei et coelestia contemplatur atque humanis commodis multarum artium peritiam perspicaci ingenio adinvenisse probatur? Qualis ergo est ista, quae tam multa de ceteris novit, et se, qualiter facta sit, prorsus ignorat? Licet enim nonnulla ambigua a quibusdam super ejus origine proferantur, invenimus tamen eam esse quendam intellectualem spiritum per creatoris potentiam factum, immortaliter juxta modum viventem, mortale corpus quod sustinet vivificantem, mutabilitati subjectum, oblivioni deditum, quem timor saepe afficit, laetitia extollit. O res mira omnique stupore dignissima!

Sed transeat ab his anima, et transcendat omne, quod creatum est, currat et ascendat et volitet et pertranseat, et in eum, qui creavit omnia, quantum potest, oculos fidei dirigat. Faciam ergo gradus ascensionis in corde meo et per ipsos ascendam ad animam meam et per

ipsam et mentem meam ascendam ad Dominum meum, qui capiti meo desuper manet. Quidquid visibiliter cernitur, quidquid spiritualiter imaginatur, forti manu ab intuitu cordis et mentis procul removeatur, solus intellectus purus et simplex incedens rapido volatu ad ipsum perveniat conditorem angelorum et animarum et omnium rerum.

Mens illa beatà, quae ima deserit, summa petit, quae ponit in arduis sedem habitationis suae et de summis rupibus contemplatur solem justitiae aquilinis obtuitibus. Nihil enim tam pulchrum atque jucundum, quam Jesum solum mentis intuitu et cordis aviditate, contemplari Deum et miro modo invisibiliter cernere invisibilem, sicque aliam non istam gustare dulcedinem et inspicere aliam non istam lucem. Lux enim ista, quae loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur et quam communem cum vermibus, et pecoribus habemus, in comparatione illius summae lucis non est lux dicenda sed nox.

Quamquam autem illa summa et incommutabilis essentia lux vera, lux indeficiens, lux angelorum a nemine conspici valeat in hac vita, quod solum praemium sanctis reservatur in coelesti gloria, illud tamen credere et intelligere et sentire et ardenter inhiare quodammodo illum cernere est atque tenere. Sonet itaque vox super angelos, et homo intenta mente contempletur Deum, verbis, quibus potest suas illi dicat laudes. Justum namque est, ut creatura suum laudet creatorem. Ipse enim ad laudandum se nos creavit, qui nostris non indiget laudibus.

Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipse sibi sufficiens. Magnus Dominus Deus noster et magna virtus ejus et sapientiae ejus non est numerus, magnus Dominus noster et laudabilis valde. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, manus scribat atque in his sanctis studiis fidelis animus se totum exerceat. His videlicet vir desideriorum et coelestium contemplator assidue reficiatur, ut hoc coelesti pabulo saginatus clamat clamore magno, clamat

totis medullis cordis, clamat in jubilo, et ardentissimo mentis desiderio dicat:

O summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, justissime, pulcherrime et fortissime, invisibilis omnia videns, immutabilis omnia mutans, immortalis, interminus, metuendus atque terribilis, honorandus atque timendus, venerandus atque reverendus, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, semper agens, semper quietus, colligens et non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans, protegens, nutriens et proficiens, quaerens cum nihil desit tibi, amans nec aestuans, celans et securus es.

Et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Qui solus vivificas omnia, qui creasti omnia, qui ubique es et ubique totus; qui sentiri potes, videri non potes; qui nusquam dees et tamen ab iniquorum cogitationibus longe es, qui nec ibi dees, ubi longe es, quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui doces corda fidelium sine strepitu verborum; qui attingis a fine

usque ad finem fortiter et disponis omnia suaviter. Nec habes accessus nec recessus, sed habitas lucem inaccessibilem, quam nullus hominum videt nec videre potest.

Hujus videlicet mysterii immensam profunditatem mens humana concipere non potest, nec oratoria lingua enarrare, nec bibliothecarum volumina queunt explicare, si totum mundum libri repleant. Magnus enim es sine quantitate et ideo immensus; bonus es sine qualitate et ideo vere et summe bonus, et nemo bonus, nisi tu solus, cujus voluntas est opus, cujus velle posse est. Qui omnia de nihilo creasti, quae sola voluntate tua fecisti; qui omnem creaturam tuam absque indigentia possides et sine labore gubernas et absque taedio regis, et nihil est, quod perturbat ordinem imperii tui vel in summis vel in imis. Nulla flagitia vel scelera probas aut imperas; nunquam mentiris, quia aeterna veritas es, cujus bonitate facti sumus, justitia luimus, clementia liberamur. Haec et multa alia docuit me sancta mater ecclesia, cujus factus sum membrum per gratiam

tuam. Docuit me sane, te solum unum et verum Deum non esse corporeum, et ideo certum est, corporeis oculis te non posse sentiri, sed nec ab ullo mortalium in propria essentia aliquando potuisse videri. Hinc enim patenter datur intelligi, quod unde angeli te intuentur, inde et nos post hanc vitam te videbimus.

Nam cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, et revelata facie tuam faciem videbimus in aeternum.

Litaniae de nomine Jesu.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus,
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta trinitas unus Deus,
Jesu fili Dei vivi,
Jesu splendor patris,
Jesu candor lucis aeternae,
Jesu rex gloriae, } miserere nobis.

Jesu sol justitiae,
Jesu fili Mariae virginis,
Jesu admirabilis,
Jesu Deus fortis,
Jesu pater futuri saeculi,
Jesu magni consilii angele,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu mitis et humilis corde,
Jesu amator castitatis,
Jesu amor noster,
Jesu Deus pacis,
Jesu auctor vitae,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu zelator animarum,
Jesu Deus noster,
Jesu refugium nostrum,
Jesu pater pauperum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu bone pastor,
Jesu lux vera,
Jesu sapientia aeterna,
Jesu bonitas infinita,
Jesu via et vita nostra,
Jesu gaudium angelorum,
Jesu magister apostolorum,

} miserere nobis.

Jesu doctor evangelistarum, miserere nobis.
Jesu fortitudo martyrum, miserere nobis.
Jesu lumen confessorum, miserere nobis.
Jesu puritas virginum, miserere nobis.
Jesu corona sanctorum omnium, miserere nobis.
Propitius esto, parce nobis, Jesu.
Propitius esto, exaudi nos, Jesu.
Ab omni peccato, libera nos, Jesu.
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

} libera nos, Jesu.

Agnus Dei etc.

V. Confitebimur tibi Deus;

R. Et invocabimus nomen tuum.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui dixisti: petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis, quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus. Qui cum patre et spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Oremus. Deus, qui gloriosissimum nomen Domini nostri Jesu Christi unigeniti filii tui fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile et malignis spiritibus tremendum atque terribile, concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant et in futuro gaudium exsultationis et interminabilis jubilationis obtineant in coelis. Per eundem etc.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei filius.

Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus!

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurum praemium;
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.
Amen.

COMPLETORIUM.

V. Jube Domine benedicere. *Benedictio.* Noctem quietam et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens. R. Amen.

Lectio. 1. Petr. 5.

Fratres, sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide. Tu autem Domine miserere nobis.

R. Deo gratias.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini;

R. Qui fecit coelum et terram.

Pater noster, secreto.

Confiteor Deo omnipotenti etc.

Misereatur tui omnipotens Deus etc.

V. Converte nos Deus salutaris noster;

R. Et averte iram tuam a nobis.

V. Deus in adjutorium meum intende!

R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria patri etc. Alleluja *(vel)*, Laus tibi Domine, rex aeternae gloriae.

Ant. Miserere.

Psalmus 4. Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei: et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde?: ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendatium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino: multi dicunt: quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam et requiescam.

Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me. Gloria etc.

Psalmus 30. In te Domine speravi, non confundar in aeternum: in justitia tua libera me.

Inclina ad me autem tuam: accelera, ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.

Psalmus 90. Qui habitat in adjutorio altissimi: in protectione Dei coeli commorabitur.

Dicet Domino: susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno;

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: potegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

Psalmus **133.** Ecce nunc benedicite Dominum: omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit coelum et terram.

Ant. Miserere mei Domine, et exaudi orationem meam.

Tempore paschali. Ant. Alleluja, alleluja, alleluja.

Hymnus.

Te lucis ante terminum
Rerum creator poscimus,
Ut pro tua clementia,
Sis praesul ad custodiam.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Praesta, pater omnipotens
Patrique compar unice,
Cum spiritu paracleto
Regnans per omne saeculum.
Amen.

Capitulum. Jerem. 14.

Tu autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos, Domine Deus noster.

R. Deo gratias.

R. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. In manus tuas.

V. Redemisti nos Domine Deus veritatis. Commendo.

Gloria patri. In manus tuas.

V. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

Nunc dimittis servum tuum Domine: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum,

Quod parasti: ante faciem omnium populorum,

Lumen ad revelationem gentium: et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria patri.

Ant. Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem;

R. Sed libera nos a malo.

Credo etc.

V. Carnis resurrectionem,

R. Et vitam aeternam.

V. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum,

R. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

V. Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu;

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus.

R. Amen.

V. Dignare, Domine, nocte ista;

R. Sine peccato nos custodire.

V. Miserere nostri, Domine!

R. Miserere nostri.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,

R. Quemadmodum speravimus in te.

Domine exaudi etc.

Dominus vobiscum etc.

Oremus. Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes in-

sidias inimici ab ea longe repelle; angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant; et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, pater et filius, et spiritus sanctus.

R. Amen.

Cantatur una ex antiphonis de B. Maria.

A vesperis sabbati ante dominicam primam adventus usque ad purificationem inclusive.

Antiphona.

Alma redemptoris mater, quae pervia
coeli
Porta manes et stella maris, succurre
cadenti,
Surgere qui curat, populo tu quae genuisti,

Natura mirante, tuum sanctum genitorem:
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud ave, peccatorum miserere.

In adventu:

V. Angelus Domini nuntiavit Mariae.
R. Et concepit de spiritu sancto.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui angelo nuntiante, Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.
R. Amen.

A primis vesperis nativitatis usque ad festum purificationis:

V. Post partum, virgo, inviolata permansisti.
R. Dei genitrix intercede pro nobis.

Oremus. **Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda, hu-**

mano generi praemia praestitisti, tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

R. Amen.

Post purificationem, id est, a fine completorii illius diei inclusive, usque ad feriam quintam in coena Domini exclusive.

Antiphona.

Ave regina coelorum,
Ave Domina angelorum;
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta.

Gaude virgo gloriosa,
Super omnes speciosa,
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

V. Dignare me laudare te, virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus. Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium, ut qui sanctae Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

A completorio sabbati sancti usque ad nonam sabbati post pentecosten inclusive.

Antiphona.

Regina coeli laetare, alleluja;
Quia quem meruisti portare, alleluja,
Resurrexit sicut dixit, alleluja.

V. Gaude et laetare virgo Maria, alleluja.

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es, praesta, quaesumus, ut per ejus genitricem virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

A primis vesperis festi ss. trinitatis usque ad nonam sabbati ante adventum.

Antiphona.

Salve regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exules filii Evae; ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix;

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, spiritu sancto cooperante praeparasti, da, ut, cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur.

Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

Hymnus s. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te aeternum patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli: tibi coeli et universae potestates,

Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, sanctus: Dominus Deus sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra: majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus apostolorum chorus,

Te prophetarum laudabilis numerus,

Te martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia,

Patrem immensae majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum filium,

Sanctum quoque paracletum spiritum.

Tu rex gloriae Christe.

Tu patris sempiternus es filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum sanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine: et benedic haereditati tuae.

Et rege eos: et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum: et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

V. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum;

R. Et laudabilis, et gloriosus in saecula.

V. Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Benedictus es, Domine Deus, in firmamento coeli;

R. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

V. Benedic anima mea Domino;

R. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

V. Domine, exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus praestas auditum, pro postulationibus nostris votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum.

SECTIO SEPTIMA.

PROFESSIO FIDEI.

Symbolum apostolicum.

Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae; et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum com-

munionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Symbolum nicaenum.

Vide pag. 220. vel etiam pag. 425. „Credo.“

Symbolum Athanasii.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit. Fides autem catholica haec est: ut unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona patris, alia filii, alia spiritus sancti; sed patris et filii et spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas. Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus; immensus pater, immensus filius, immensus spiritus san-

ctus; aeternus pater, aeternus filius, aeternus spiritus sanctus, et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus, sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus. Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus, et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, et tamen non tres Dii, sed unus est Deus. Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus spiritus sanctus, et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus; filius a patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus; spiritus sanctus a patre et filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Unus ergo pater, non tres patres; unus filius, non tres filii; unus spiritus sanctus, non tres spiritus sancti. Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil

majus aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales; ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et unitas in trinitate, et trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius, Deus et homo est; Deus est ex substantia patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus; perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens. Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, qui passus est

pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem; et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum. Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Symbolum tridentinum.

Ego N. N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta romana ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, et ex patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero;

genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas; et ascendit in coelum, sedet ad dexteram patris; et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram scripturam juxta eum

sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et adprobatos ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sa-

crificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter et sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis, nec non aliorum sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illa-

rumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam catholicam et apostolicam romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco; romanoque pontifici, beati Petri apostolorum principis successori ac Jesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Caetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, atque praecipue a sacrosancta tridentina synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spe-

ctabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro, sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia: in principio erat verbum etc.

Pia suspiria
sive
preces jaculatoriae.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. [1])

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum. [2])

Quid mihi in coelo et a te quid volui super terram. [3])

O Deus meus et omnia; diligo te super omnia. [4])

Amplectar te bonum, sine quo nihil bonum; amplectar te optimum, sine quo nihil optimum. [5])

---

[1]) *Jesa.* 6. [2]) *Ps.* 8. [3]) *Ps.* 72. [4]) *Fran. Seraph.* [5]) *Aug. sol.* 1.

Fortitudo et laus mea Dominus. [1])

Domine, quid me vis facere? [2])

Tu mandasti, mandata tua custodire nimis, utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas. [3])

Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. [4])

Domine, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es. [5])

Ambula coram me et esto perfectus. [6])

Beati, qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore. [7])

Magna nobis indita est necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis. [8])

Domine repelle tenebras desuper abyssi mentis meae. [9])

Noverim me, noverim te. [10])

Rector mei, averte a me oculorum elationem et curiositatis pruriginem. [11])

---

[1]) *Exod.* 15. [2]) *Act.* 9. [3]) *Ps.* 118. [4]) *Matth.* 6. [5]) *Aug. med.* 9. [6]) *Genes.* 17. [7]) *Ps.* 105. [8]) *Aug. sol.* 14. [9]) *Aug. sol.* 1. [10]) *Aug.* [11]) *Aug. med.* 1.

Pota me torrente voluptatis tuae, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatae dulcedinis. [1])

Omnis copia, quae Deus meus non est, egestas mihi est. [2])

Manus, Domine, me retrahat et teneat, ne in satanicum detractionum barathrum incidam. [3])

Redemptor mei, expelle a me spiritum superbiae et concede propitius thesaurum humilitatis. [4])

O insipiens, quid tibi prodest hominum memoria, si, ubi es, torqueris, et ubi non es, laudaris. [5])

Rex meus, extingue in me desideria carnis et accende ignem amoris tui. [6])

Averte a me, Domine, cordis vagationem et ventris ingluviem. [7])

Salvator meus, amove a me furorem irae et indulge mihi benignus scutum patientiae. [8])

---

[1]) *Aug. med.* 9. [2]) *Aug. med.* 18. [3]) *Chrys. ad pop.* [4]) *Aug. med.* 1. [5]) *Chrys. in Matth.* [6]) *Aug. med.* 1. [7]) *Aug. med.* 1. [8]) *Aug. med.* 1.

Reseca in me, factor mei, temeritatem, somnolentiam, pigritiam, et mentis hebeditatem. [1])

Fac me, Domine, fugere modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur. [2])

Jussisti, Domine, et sic est, ut poena sua sibi sit omnis inordinatus animus. [3])

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum. [4])

Cessat voluntas propria et infernus non erit. [5])

Fac, Domine, ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. [6])

Voluntarie sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est. [7])

Da, clementissime Domine, solidam

---

[1]) *Aug. med.* 1. [2]) *Chrys. c.* 7. *ad Rom.* [3]) *Aug. conf. lib.* 1. *c.* 12. [4]) *Rom.* 7. [5]) *S. Bernard.* [6]) *Aug. med.* 2. [7]) *Ps.* 53.

fidem, spem congruam et caritatem continuam. [1])

Continentiam jubes, Domine; da, quod jubes et jube, quod vis. [2])

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. [3])

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? [4])

Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo. [5])

---

[1]) *Aug. med.* 1. [2]) *Aug. conf. lib.* 10. *c.* 29. [3]) *Ps.* 30. [4]) *Ps.* 115. [5]) *Ps.* 115.

Omnia
ad majorem Dei Deiparaeque virginis ac sanctorum omnium gloriam et honorem.

APPENDIX.

ARMAMENTARIUM

SENTENTIIS AUGUSTINIANIS

ANIMAE COELESTIA IMPETRATURAE

INSTRUCTUM

CURA

F. A. HAMACHER.

Accipite

ARMATURAM DEI,

ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare.

(Ephes. VI.)

I. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam justitiae.*

Divini est muneris, cum et recta cogitamus et pedes nostros a falsitate atque injustia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.

Vera confessio est benedicentis, cum idem sonus est oris et cordis; bene autem loqui et male vivere, nihil aliud est, quam se sua voce damnare.

Non est vera scientia boni, nisi ad hoc comprehendatur, ut agatur. Inutiliter autem meditatur legem Dei, qui

laborat, ut memoria teneat, quod actione non implet.

Interest plurimum, qualis sit usus, vel earum rerum, quae prosperae, vel earum, quae adversae dicuntur; nam bonus nec bonis temporalibus extollitur, nec malis frangitur; malus autem ideo hujusmodi infelicitate premitur, quia felicitate corrumpitur.

Nihil infelicius est felicitate peccantium, qua poenalis nutritur impunitas et mala voluntas velut hostis interior roboratur.

Sicut non impediunt ab aeterna vita justum quaedam peccata venalia, sine quibus haec vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt aliqua bona opera impio, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.

Omnia vitia in malefactis tantum valent, sola superbia etiam in recte factis cavenda est.

Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse nec quaerulum, sed in omnibus Dei judiciis gratias agere Deum-

que laudare, cujus omnia opera aut justa sunt aut benigna.

Non sufficit abstinere a malo, nisi fiat, quod bonum est, et parum est, neminem nocere, nisi studeat multis prodesse.

Omne tempus malorum pusillum est. Quid enim tam exiguum est, quam quod in hoc tendit, ut non sit?

Malorum impietatem perire necesse est, aut proprio judicio aut sententia Dei; nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio aut damnatio facit.

Tota justitiae ratio est, ut declinentur mala et fiant bona, cujus observantiae inter quaslibet adversitates forma servanda est, quia hoc solum nunquam amittitur, quod operi pietatis impenditur.

Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu poenae fit innocens, sed amore justitiae; nam qui timore non peccat, quamvis non noceat, cui vult nocere, tamen plurimum nocet, et abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.

Quo primum vitio superatur homo,

hoc ultimum vincit. Cum enim omnia peccata superaverit, manet periculum, ne sibi mens nihil conscia in se potius quam in Domino glorietur.

Cum homo secundum se vivit, non secundum Deum, similis est diabolo, quia nec angelo secundum angelum sed secundum Deum vivendum fuit, ut staret in veritate, et veritatem de illius non de suo mendacium loqueretur. Unde non frustra dicitur: Omne peccatum esse mendacium, quia non peccatur nisi ea voluntate, quae contraria est veritati, i. e. Deo.

Nullus bonorum inimicum habet nisi malum, qui ideo esse permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipsum bonus exerceatur.

Ad omne opus bonum amor ducit et timor Dei; ad omne peccatum amor ducit et timor mundi.

Dilectio Dei et proximi propria et specialis est virtus piorum atque sanctorum, cum ceterae virtutes et bonis et malis esse possint communes.

De occultis cordis alieni temere judicare peccatum est, et eum, cujus non

videntur nisi bona opera, iniquum est ex suspicione reprehendere, cum eorum, quae homini sunt incognita, solus Deus judex sit, quia justus est et inspector verus.

Christianae perfectionis est, pacificum esse etiam cum pacis inimicis, spe correctionis non consensu malignitatis, ut, si nec exemplum, nec cohortationum discretionem sequantur, causas tamen non habeant, quibus odisse nos debeant.

II. *State et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis.*

Angusta est via, quae ducit ad vitam, et tamen per ipsam nisi dilatato corde non curritur, quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etsi arctum sit infidelium vanitati.

Iter tuum est tua voluntas; amando accedis, negligendo recedis, constitutus in terra Deo jungeris, quia quae Deo cara sunt diligis.

Rectum cor cum Deo est, quando propter Deum quaeritur Deus.

Ascensionum ad Deum gradus sunt pietatis affectus.

A quo homo habet ut sit, apud illum habet, ut ei bene sit.

Deum quaerens gaudium quaerit; sic ergo quaerat, ut non in se, sed in Domino gaudeat.

Ascendendo enim ad Deum illuminatur ignorantia et corroboratur infirmitas, data sibi et intelligentia qua videat et caritate qua ferveat.

Omnes beati habent, quod volunt, quamvis non omnes, qui habent, quod volunt, continue beati sunt. Continuo autem sunt miseri, qui vel non habent, quod volunt, vel id habent, quod non recte volunt.

Multa nos in facultatibus nostris superflua habere probabimur, si necessaria sola retineamus: nam vana quaerentibus nihil sufficit.

Humanae aegritudinis est, in carne mortali delectationem habere peccandi, sed discipulus amatorque virtutum non pacem huic concupiscentiae tribuere sed bellum debet indicere.

Libera semper est servitus apud

Deum, cui non necessitas servit, sed caritas.

Nemo invitus bonum facit, etiamsi bonum est quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus caritatis.

Frustra homo post hoc corpus hic promittit sibi, quod in hoc corpore comparare neglexerit.

Melior est animi aequitas, quam corporis sanitas, et convenientius justus dolet in supplicio, quam laetatus est in delicto.

Homini religioso parum esse debet, inimicitias aliorum non excitare vel augere male loquendo, nisi eas extinguere studeat bene loquendo.

Nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat, quia aliud est fortis patientia, aliud secura felicitas. Non ejusdem est, temporalis labor pugnae et beatitudo victoriae.

Justis quidquid malorum Dominus irrogat, non poena est criminis, sed examen virtutis; nam etiam bonus, si serviat liber est, malus autem, etsi

regnet, servus est tot dominorum, quot vitiorum.

Quando Deus permittit aut facit, ut aliqua tribulatione vexemur, tunc misericors est, quia excitans fidem et differens in opere, non auxilium negat, sed desiderium movet.

Quando corripit Deus genus humanum et flagellis piae castigationis exagitat, exercet ante judicium disciplinam et plerumque diligit, quem flagellat, nolens invenire, quem damnet.

Non concupiscit Deus poenam reorum tamquam desiderans saturari ultione, sed quod justum est cum tranquillitate decernit, et recta voluntate disponit, ut etiam mali non sint inordinati.

Flagellat autem justos simul et injustos, quia nemo, qui possit gloriari mundum se habere cor aut mundum se esse a peccato. Ita de gratia misericordiae ejus veniunt etiam coronae justorum.

Divina bonitas ideo maxima irascitur in hoc saeculo, ne irascatur in futuro, et misericorditer adhibet severi-

tatem temporalem, ne aeternam juste inferat ultionem.

Tanta est Dei caritas, quae si desit, frustra habentur omnia, si adsit, habentur omnia.

III. *State in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Intellectui fides viam aperit, infidelitas claudit.

Vigor fidei christianae tribus temporibus initiatur, vespere, mane et meridie. Vespere enim Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione; unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam majestatis in patris dextera considentis.

Visibile miraculum ad illuminationem vocat; invisibile autem eum, qui vocatus venit, illuminat. Omnia mirabilia Dei narrat, qui credens visibilibus ad intelligendum invisibilia transitum facit.

Laus fidei est non visa credere, praemium erit creditorum adeptione gaudere.

Mirabilis est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator, et male occupatur creatis, qui a creatore discedit; cui si adhaeserit, inferiora calcabit, ne quod dilexerit contra naturam, convertatur in poenam.

Quaerens a Deo pacem sit tibi ipse pacatus, ne aliud in professione oris, aliud sit in cordis arcano. Nihil enim prodest hoc esse in corde, quod verum est, si hoc dicitur voce quod falsum est, quia veritas et credenda est et loquenda.

Omnes qui in Christo pie volunt vivere necesse est, ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria et despiciantur tamquam stulti et insani, qui praesentia bona perdunt et invisibilia sibi profutura promittunt. Sed haec despectio et irrisio in impios retorquebitur, cum et abundantia eorum in egestatem et superbia transierit in confusionem.

Anima rationalis superioribus inferiora praeponens, non potest regere, quod regebat, quia regi noluit, a quo regebatur.

Omnia quae timentur, rationabiliter declinantur; Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur.

Crescit semper facultas caritatis, dum usu major et largitate fit ditior.

Virginitas carnis corpus intactum, virginitas animae fides incorrupta.

Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono, ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.

Non auferat veritas misericordiam, nec misericordia impediat veritatem; si enim pro misericordia vindicabis contra veritatem, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Domini, in qua misericordia et veritas obviaverunt sibi.

Tentatio Christi eruditio christiani est; imitatores enim magistri debent esse discipuli, non in faciendis miraculis, quae nemo exigit, sed in custodienda humilitate atque patientia, ad quae nos Dominus invitavit suo exemplo.

Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios, quibus qui non offen-

ditur, parum proficit; tantum enim torquet justum alieni peccati iniquitas, quantum a sua recedit.

Quomodo radix omnium malorum cupiditas est, sic radix omnium bonorum caritas est.

Bona est peccati confessio, si et curatio consequatur; nam quid prodest tegere plagam et non adhibere medicinam?

Potest homo invitus amittere temporalia bona, nunquam vero nisi volens perdit aeterna.

Mala mors putanda non est, quam bona vita praecesserit; non enim facit malam mortem nisi quod sequitur mortem. Non enim curandum est multum necessario morituris, quid accidat, ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur.

Tunc hominem concludit profunditatis iniquitas, quando non solum immersus peccatis jacet, sed etiam volens ea defendere perdit confessionem et aditum confessionis.

Melior est tristitia iniqua patientis, quam laetitia iniqua facientis.

IV. *State et galeam salutis assumite.*

Patientia Dei magna est, qua parcit contemptus, parcit etiam negatus, et magis vult vitam peccatoris quam mortem; eruditio est poenitudinis et oblatio correctionis, nec ulla Christi opera a misericordia vacant, quoniam homini et indulgentia consulit et flagello.

Prima divini muneris gratia est, ut erudiat nos ad nostrae humilitatis confessionem, et agnoscere faciat, quod si quid boni facimus, per illum possumus.

Sicut enim fundamentum corporeae fabricae in imo est, ita fundamentum fabricae spiritalis in summo est; terrena aedificatio a terra incipit, coelestis exstructio a superno crescit exordio.

Totum bonum quod habemus ab artifice nostro habemus. Sed si hoc in nobis est quod ipsi fecimus, inde damnabimur, si autem hoc quod Deus fecit, inde coronabimur.

Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat;

non enim ulla ita divinorum bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper supersit quod mens rationalis et intelligendum desideret et gerendum.

Ad coelestis Hierusalem non ascendunt consortium, nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis, sed divini esse muneris, quod ascendunt.

Tota fidelium salus, tota patientiae fortitudo ad eum, qui in sanctis suis mirabilis est, referenda est, quia nisi in illis dominus esset, furori impiorum fragilitas succumberet humana.

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales nostro merito.

Divinitas verbi aequalis patri facta est particeps mortalitatis nostrae, non de suo sed de nostro, ut et nos efficeremur participes deitatis ejus, non de nostro sed de ipsius.

Lex Christi perfectio est caritatis, qua Deus proximusque diligitur, et per quam dicitur conditori legis: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Bene autem exspectat promissionem Dei, qui mandata

ejus exequitur, nec frustra sperat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis.

In magna egestate sunt, qui de iniquitate divites justitiae opes et sapientiae non habent; qui autem Domino serviunt, ea bona acquirunt, quae perire non possunt.

Diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem; Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam, quia sicut ille elatus cecidit et dejecit consentientem, sic iste humiliatus surrexit et erexit credentem.

Ad peccandum homo abundat propria facultate, ad agendum autem bonum non sufficit, nisi ab illo justificetur, qui solus justus est.

Animus male sibi conscius, dum videtur sibi nullam poenam pati, credit quia non judicet Deus, cum abuti patientia Dei et non intelligere parcentis benignitatem, jam sit magna damnatio.

Sicut non est a carne sed supra carnem, quod eam facit vivere, sic non est ab anima sed supra animam, quod eam facit vivere beate, quia ut vita car-

nis anima est, ita beata vita hominis Deus est.

Bene currit ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi; apud enim justum judicem qui se accusat excusat.

Prima salus est declinare peccatum, secunda non desperare de venia; nam ipse se in aeternum perimit, qui apud misericordem judicem ad poenitentiae remedia non recurrit.

Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant.

V. *State et gladium spiritus assumite, quod est verbum Dei.*

Sicut stellas coeli non extinguit nox, sic mentes fidelium adhaerentes firmamento sacrae scripturae non obscurat mundana iniquitas.

Beata vita est gaudium de veritate, quod Deus est, sed multis veritas odiosa est, quia audire nolunt docentem, et nolentes falli, volunt mendacia sua veritatem videri; quibus juste retribuitur,

ut ipsi veritatem non lateant, ipsos autem lateat veritas.

Auditor verbi similis esse debet animalibus, quae ab hoc quod ruminant munda esse dicuntur, et non pigeat cogitare de iis, quae in alvo cordis accepit, et cum audit sit similis edenti, cum vero audita in memoriam revocat, sit similis ruminanti.

Bonum est a veritate vinci. Ad correptionem superet veritas nolentem, nam et invitum ipsa superabit.

Nihil Deus jubet, quod sibi prosit, sed illi, cui jubet; ideo verus est dominus, qui servo non indiget et quo servus indiget.

Aliud est migrare corpore, aliud corde; migrat corpore, qui motu corporis mutat locum, migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amabas, non es nisi ubi eras.

Sicut corpori noxium est, escam corpoream non posse percipere, ita animae periculosum est spiritales delicias fastidire.

Ita non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate etiam op-

presso corpore, sicut amittitur corporis sanctitas violata animi puritate etiam corpore intacto.

Justo judicio Dei datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu Dei juvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

Ad hoc excoquuntur homines tribulationibus, ut vasa electionis evacuentur nequitia et impleantur gratia.

Profectus fidelium sine tentatione non evenit, neque sibi quisquam innotescit nisi probationis examine, nec coronabitur nisi qui vicerit, nec vincet nisi qui certaverit, nec certabit nisi inimicum habens et tentationi resistens.

Meliores sunt, qui diabolum persequentem fugiunt, quam qui praeeuntem sequuntur, quia utilius est, eum hostem habere, quam participem.

Nulla infelicitas frangit, quem nulla felicitas corrumpit.

Non acceditur ad altitudinem Dei, nisi per humilitatem, cui propinquat subditus, longe ab ea recedit elatus.

Adhaerens Deo et semper ejus fa-

ciens voluntatem nunquam a suo habitatore deseritur, et si quaedam dura et adversa patiatur, non derelinquitur sed probatur.

Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio.

Rationalis anima est domina corporis sui, quae inferiori non bene imperabit, nisi superiori se Deo tota caritatis subjectione servierit.

Lex data est, ut gratia quaereretur, gratia data est, ut lex impleretur; neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiae carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.

VI. *State per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu et in ipso vigilantes in omni instantia.*

Quid supplicaturus Deo locum aptum requiris? Interiora tua munda, et omni inde mala cupiditate repulsa praepara

tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora et ita age semper, ut Dei templum sis; ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.

Quisquis bene cogitat, quae voveat Deo et quae vovendo persolvat, seipsum voveat et reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago caesaris reddatur caesari, imago Dei reddatur Deo. Sed sicut videndum est, quid offeras et cui offeras, ita etiam considerandum est, ubi offeras, quia veri sacrificii extra catholicam ecclesiam locus non est.

Nemo est, cujus animam corruptibile corpus et inhabitatio terrena non aggravet, sed nitendum est, ut carnis cupiditates spiritus vigore superentur, et interior homo, qui semper sibi sentit resisti, semper de divino auxilio exspectet adjuvari.

Rectus est et bene invocat Deum, qui in omnibus malis, quae patitur, se accusat, non Deum, et in bonis, quae facit, non se laudat sed Deum. Sicut enim repellit Deus peccata sua defendentem, sic recipit confitentem.

Recte in Dei laudem psallit, cujus

opera cum voce concordant; nam finito carmine vox tacet. In bonis autem actibus vita permanens nunquam reticet ejus gloriam, quem in se gaudet operari.

Clamor ad Deum est intentio cordis et flagrantia delectionis, quia semper petitur, quod semper optatur. Hoc autem Deo absconditum non est, quoniam ad ipsum redit, quod ab ipso procedit.

Bonum est sursum habere cor, non tamen ad seipsum, quod est superbiae, sed ad Deum, quod est obedientiae.

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius supplicandum, quia numerus sanctorum semper de numero impiorum auctus est.

Remedia conversionis ad Deum nullis cunctationibus sunt differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate; qui enim poenitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinam non spopondit.

Nullae poenae graviores sunt, quam malae conscientiae, in qua, cum non habetur Deus, consolatio non invenitur, et ideo invocandus est liberator, ut

quem tribulatio exercuit ad confessionem, confessio perducat ad veniam.

Nullus miser de qualicumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur.

Divitiis, floribus et majorum nobilitate te jactas, et exultas de patria et pulchritudine corporis et honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, respice te ipsum, quia mortalis es et quia terra es et in terram ibis. Circumspice eos, qui ante te similibus splendoribus fulsere. Ubi sunt, quos ambiebant civium potentatus? ubi insuperabiles imperatores? ubi qui conventus disponebant et festa? ubi exercituum duces? Nunc omnia pulvis, nunc omnia favillae, nunc in paucis versibus eorum vitae memoria est. Respice sepulcra et vide quis servus quis dominus, quis pauper, quis dives? Discerne si potes vinctum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. Memor sis itaque ne extollaris aliquando; memor autem eris, si teipsum respexeris.

Nemo fidelium quamvis multum profecerit, dicat: sufficit mihi; qui enim hoc dixerit, remansit et haesit in via

ante finem, qui non perseveraverit usque ad finem.

Ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanae intelligentiae, quia plus loquitur inquisitio quam inventio, et longior est petitio quam impetratio.

Judica Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum et exurge in adjutorium mihi (Ps. 34).

Jubes continentiam,
Da, Domine, quod jubes et jube quod vis.

O. A. M. D. G.

INDEX.

Sectio II. Miseria hominis.

Sectio III. Misericordia Domini.

PARS ALTERA.

Deus trinus et unus orando celebratur.

Sectio I. Preces diurnae. [1])

---

1) cf. Pars I. cap. I — X. 2) cf. Pars I. cap. XXXII. 3) cf. Pars I. cap. IV. sive XXIX.

---

1) cf. Pars I. cap. XX — XXVII. 2) cf. Pars I. Sect. II. et cap. XXIV. 3) cf. Pars I. cap. V. et XIII. et XXVI. et XXVII.

Sectio V. S. Maria Virgo et Deipara, dulcis christianorum Deprecatrix.

Sectio VI. Preces pomeridianae.

Sectio VII. Professio fidei.

APPENDIX.

Armamentarium Sententiis augustinianis instructum.

Litaniae.

Hymni etc.

Typis C. Fr. Meyer Weissenburgii.